Digitized by Google

F.11
27535

Digitized by Google

7ª = 517

B
III
2

Digitized by Google

Digitized by Google

Dom. Prof. Rom. S. J. Biblioth. comm.

H 13 a

# AVLI HALI POETAE TOLETANI CARMEN HEROICVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

R.º 165726 Aulo Hala Clavau
Domus Prof. Rom. S.J. Biblioth. comm

# AVLI HALI
## POËTÆ BVRDIGALENSIS, CIVISQVE TOLETANI,

De Aduentu in Hiſpanias S. IACOBI ZEBEDAEI filij, cognomento MAIORIS, APOSTOLI, & Vnicæ Hiſpaniarum Tutelæ,

*CARMEN HEROICVM*

Ex M.S. Gothico Codice erutum, correctum, & notis breuibus, illuſtratum.

A L. IOANNE TAMAYO SALAZAR Presbytero I.C. Ilipenſi, ex Bæturia Turdulorum, & Secretario Illuſtr. ac Reuerendiſsimi Domini Epiſcopi Placentini, & Fidei in Hiſp. Regn. Supremi Myſtarchi,

Cuius auſpicijs nunc primùm prodit, cuius obſequijs præit, & ad cuius pedes prouolutum, tanquam ad Aſylum, humili deſtinatione quieſcit.



MATRITI
Ex Officinâ Didaci Diaz de la Carrera Typographi;
ANNO M. DC. XLVIII.

BIBLIOTECA
Digitized by Google

B.Paul.Ad Hebr.c.13.Verſ.VII.

*Vbi S.*Theodoretus *de* B. IACOBO ZEBEDÆO *locutum fuiſſe, hiſce verbis, Apoſtolum, fatetur.*

MEMENTOTE Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt VERBVM DEI, quorum intuentes exitum converſationis imitemini FIDEM.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO,

Ac Reverendiſsimo Domino, ac Domino ſuo, D. Didaco de Arce Reynoſo, Epiſcopo Placentino, & in Hiſpaniarum Regnis Supremo Catholicæ Fidei Cenſori,

AVLVM HALVM

Poëtam Burdigalenſem, & Civem Toletanum, ſuo ævo celebrem, ſæculis inſequentibus ignotum, ætate noſtra, ſolo nomine, agnitum,

SACRAT.

Ipſius de Adventu S. IACOBI Maioris Apoſtoli in Hiſpanias, prædicatione, & Baſilicæ de Pilari erectione,

CARMINIS HEROICI

Poſt DC. penè Annorum curricula, rubigine madidum, ærugine mixtum, & blattis mœſtum

DEDICAT PENSVM,

Iam axſitia diligentiæ lautum, penicillo intelligentiæ politum, & correctionis lima lævigatum,

CONSECRAT.

Obſequij iure, gratitudinis onere, religionis munere Et ſubmiſsionis honore

OFFERT.

Vt ſub tanti Præſulis acumine, Patroni tegmine, & Tutelaris nomine,

Secundam conſpexiſſe Sæculi lucem non perhorreſcat

AVLVS HALVS,

Primam eruditionis viam, haud contremiſcat,

SVVS

L. IOANNES TAMAYO SALAZAR

Obſequentiſsimus famulus, Domeſticuſquè;

QVI OMNIA,

CVI CVNCTA

S. D. C. O.

Digitized by Google

## AD LECTOREM.

SI Hiſtoriam calles, iam de AVLI HALI nomine ambiges nõ; illius, & opera carmine cõcinnata, apud Iulianum Noſtrum S. Iuſtæ Toletanæ Archipresbyterum, ſolo ecphraſis involucro, cõperies. En de ADVENTV S. IACOBI Hiſpaniæ Noſtræ Luminis, Apoſtoli, & Tutelaris vnici, ex illius Poëmatibus, vnũ; quod ex vetuſtiſsimo M. S. Codice, literis Gothicis exaratum excripſi, vt redivivum, publicam iterúm adſpiceret lucem, & illo Noſtra hæc Eccleſiaſtica frueretur eruditio. Vt illud non ſuppoſitium iudices, en Tituli, & trium carminum apographum, ab originali, quãta potuit ſimilitudine, extractum:



Si antiquorum characterũ notas agnoveris, iſtis perpenſis, magnam, meum codicem canitiem contraxiſ-

ſe fateberis. Pervetuſtum HALI cõtextum Gothicum, Illuſtriſs. Dominusmeus, Epiſcopus-Generalis Inquiſitor, DD. D. Laurentius Ramirez de Prado, D. Ioannes de Solorzano Pereyra, ambo Hiſpaniarũ delitiæ, & à Regio Conſilio, ambo, D. Antonius Calderon, S.E. Tol. Canonicus, M. Ægidius Gonçalez Davila, D. Ioſeph Pellicer de Tovar, Regij Chronographi, & alij plurimi, omnes eruditione præſtantes, & bene de antiquitate meriti omnes, conſpexere, & diſcuſsis characteribus probavere. Nec Gallũ Poëtam fuiſſe HALVM expaveſcas, quia cúm ipſe Civitatem fuerit Toletanam adeptus, ab omni enuntiatione liberum iudicabit quælibet ſcrupuloſa confeſſio. Donec ſuũ, in meo Martyrologio Hiſpano, locũ teneret, diú deliteſcere propoſueram, ſed amicis parens, eruditis annuens, & communis iuris cauſam contuens, hiſce Notis cinctum, tua, vt ſapiat cenſura, é Noſtra, Poëma hoc, dilabitur Bibliotheca. Pro annoſo reverentiam meretur; pro meo miſerationem. Vtraque Virtus eſt:

*Quis non virtutem fovet, nec Numen adorat?*

Ergo vtramqué complectens, & HALO honorem, & MIHI gratiam, vt ſpero, libentiſsimé cumulabis. Faxit Deus. Tu interim. VALE.

## REMISSIO, ET PERMISSIO *Eminentiſsimi, ac Rever^mi. D. D. Cardinalis Archiepiſcopi Toletani, Hiſpaniarum Primatis.*

EMINENTISSIMI, ac Reverendiſsimi Domini, ac Domini Balthaſaris Cardinalis Sandoval, Archiepiſcopi Toletani, & Hiſpaniarũ Primatis, &c. decreto, hocce AVLI HALI *Poëtæ Burdigalenſis, & Civis Toletani*, Poëmation de *Adventu in Hiſpanias* S. IACOBI ZEBEDAEI, notis à *D. Ioanne Tamayo Salazar*, illuſtratum, typis poſſe mandari, patet, ſi *Martini Abbatis Laſarina*, Panormitani Doctoris Theologi, & *D. Ioſephi Pelliceri* Regij Chronographi, cenſura, & iudicio conſtiterit, illud in nullo officere Eccleſiæ Catholicæ placitis, aut bonis moribus adverſari, vt ex apographo remiſsionis, & permiſsionis, ab Eminẽtiſsimo, ſubſignato apparet, ſub datis Toleti XII. Martij, Anno Domini M. DC. XLVIII.

*Ioannes Iſidorus Pacciecus*
*Secretarius.*

## *CL.V. MARTINI ABBAT. LAFARINA de Madrigali S. Theol. Doctoris, Caſ. Pont. I. C. Philippo IV. Hiſpan. Regi à Domeſticis Sacris, & Conſilijs & Fidei Quæſitoribus Siculis à Conſultationibus,*

# IVDICIVM.

*Ad Eminentiſsimum ac Reuerendiſsimum Dom. D. Balthaſarem Moſcoſium & Sandoualium, S. R. E. Cardinalem, Toletanorum Præſulem, & Hiſpaniæ Primatem.*

REVERENTER EMINENTIAE Veſtræ Reverendiſsimæ iuſsis obtêperans, AVLI HALI, Poëtæ Toletani de Adventu D. IACOBI, Carmẽ Heroieum, à Ioanne Tamayo Salazar Notis illuſtratum, cum à Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Dogmatibus, OEcumenicorum Conciliorum Canonibus, Sanctorumquè Patrum Vocibus non abhorreat: nilquè in eo morum Canoni, qui Chriſtianum decet Virum, non examuſsim reſpondeat, à me perlectum, ac recognitum; ita editioni eſt approbatum, vt ſapientiſsimum tuum, eumquè poſtremum ambiat calculum. Poëma ſanè, vt ea erant tempora, non aſpernandum: proſodiam ſi excipias, qua ſupina eius ætatis ſocordia claudicat. Ante Quingentos enim, vt præſefert, annos fuit decantatum: quo prædicto, veniam eorum, quæ forſan Romani, vel huius temporis cenſores efflagitare poſſent, leniter omnino meretur. His adde materiam eiusmodi, Hiſtoricis potius, quam Poëtis conſentaneam, inventiones à vero diſsitas, quibus Poëſis excolitur, non amare, ne illam

*Figmenta Vatum nubilent,*
*Qui corda falſis, atquè vanis imbuunt;*

Fabu-

Fabularum enim ornamenta, Ethnicis familiaria, Chriſtianus explodit Vates; etenim

*Negant Camœnis, nec patent Apollini*
*Dicata Chriſto pectora.*

Opus deinde Hali, poſt Iuliani Petri Chronici editionem avidius expetitum, à nemine inventum, nunc tàm magno Tamaii tandem, beneficio producitur. Quod verò D. Iacobi in has regiones Adventus confirmationi pondus ſit allaturum, Docti omnes, Tuque ipſe in primis pro Eminentiſsimo tuo iudicio, ac pari doctrina exactius perpendes. Vnde ſi magnas pro tali munere iam dudum Halo habuit Gallo Hispania, quantum erit, quod Ioannis Tamaii ſolerti, & pientiſsimo ſtudio, ac ſingulari eruditioni inpoſterum habebit Hispania! nec minus etiam Gallia, qui luci auctorem, & lucem auctori dedit. Quin Hiſtoriæ teſtem, ac ducem, gloriæ ſuæ comitem, & perennis famæ commilitonem, maximo ſibi ipſi, ac patriæ ornamento comparavit. Faxit Deus, vt ab huius Libri lectione adverſariorum ora conticeſcát, quod quidem, vt maximè, opt[illegible]tinam liceat ſperare, quin potius timendum, ne emunctæ naris Criticis vapulet, quod haud paucis ſuccenſentibus huiuſmodi Auctoribus Antiquis, noviter productis hac temporibus eveniſſe videmus. Mantuæ-Carpetan. Nonis April. M.DC.XLVIII.

Ita Cenſeo

*Martinus Abbas Lafarina*
*Doctor Theolog. Panormitanus.*

DOM. IOSEPHI PELLICER DE TOVAR
*Pelliceriæ Domus, ac de Oſſau in Iaccetanis Dynaſtæ, Philippique Magni Regis Hiſpaniarum, Primarij Hiſtoriographi*

## CENSVRA.

CVm Eminentiſsimi Cardinalis Sandoval, Archiepiſcopi Toletani, & Primatis iuſsione, Aureum AVLI HALI, itidem Toletani Poëtæ, de *Aduētu* BEATI IACOBI Opuſculum perlegiſſem ( cuius pervetuſtum Exemplar, Gothicis caracteribus exaratum, necnon recenſui) iuxtàque Annotationes a D. IOANNE TAMAYO SALAZAR in illius facem, imò lucem laboratas; nihil adverſus Catholicam Religionem, Bonóſque Mores adnotaui. Plura ſed inveni, quæ pro Religione, probiſque Moribus, Pietate, Eruditione, Exemplo, Doctrinâque pugnant. Pius Vates, Pijſsimum deſiderabat Expoſitorem. Nam dulce loquendi pondus, dulciſsimam interpretationem meruit. Eòque ferebatur Claudiani ſtylus, in exponendo (aut laudãdo potius) Manlio, cui in verbis tribuebat poteſtatem vtramquè, pertrahendi dulcedine, &

per-

pervincendi copia. Quèm ſi purpureus Eminen tiſsimi Baronij Calamus perluſtraſſet, ſententiã de Apostoli apud Noſtros prædicatione, quã dixit adverſam, pro veriſsima habuiſſet. Dignus Liber, qui Præli gratia in manibus Hiſpanorum veniat, dùm de Hiſpaniarum Apoſtolo, Cultore, & Patrono agit. Cui auctoritatis, & laudis nomen, tàm illuſtrati, quâm illuſtratoris, vbique Gentium, haud dubiè conciliabit, quãtum ſatis erit. Ita Cenſeo, ſicque Voveo. Ex NoſtroMantuæ-Carpetano Muſæo, Die Martij XX. Anno ſalutis M. DC. XLVIII.

*Dom. Ioſephus Pellicer de Tovar*
*Regius Primar. Hiſtoriograph.*

DON. IOSEPHI ANTONII GONZALEZ de Salas, Equitis Calatrabenſi Cruce Purpurati,

# CENSIO.

POëmation hocce AVLI HALI, Civis Toletani, non invenuſtum, Quod DE ADVENTV S. IACOBI APOSTOLI IN HISPAN. inſcribitur, Supremi Senatus Regij iuſſu oculis luſtraui. Illud ſanè Pietatem ſat multam ſapere, offendi, & vnà Antiquitatem. Quapropter me, qui Decus illius Adventus Patrię potiſsimum decerno, exiſtimóque, Gaudio, & Pietate perfudit. Fateor equidem, parùm me eſſe perſuaderi proclivem; non tamen adeò *mihi cornea fibra eſt*, vt patiar nimirum, adhuc me difficilem præbere, vbi tot Monimenta conſpirãt, quę everti iam nequeant; & ſatis prorſus ſint refractariolo cuilibet coërcendo. Concinnius tamen eſt, quòd Moroſitas iſthæc Domeſtica Externorum præeat malignitati. Hæc de Poëta Burdigalenſi eſto ſumma Cenſionis meæ. De Editore verò, qui Eum è latebris erutum, edolatum, emunctum, Notisque conſpicuum profert in lucem, quæ iure prædicanda, paucis contineri non poſſunt: non pauca tamen complectar, ſi Virum dicam apprimè doctum, ad Eruditionem Eccleſiaſticam vere natũ, inſtructum multifariàm,

ac perpolitum, in paucis ſuſpicere me, & magni habere: Tantúmque abeſſe, vt Opus hoc Dogmatibus Fidei Catholicæ, Sanctorum Patrum Scitis, Probíſque Moribus quoquomodo adverſetur, officiatve; quin potius ad Pium animi Adfectum, Religionémque, nervoſa quadam, nec infacunda oratione, Lectorem allicere videri. Mantuæ in Carpetanis, Pridie Kal. April. ANN. DOMINI M DC XLVIII.

*D. Ioſephus Antonius Gonçalez de Salas.*

Sum-

## *Summa Privilegij Regij.*

PHILIPPI IV. Hiſpaniarũ, & Indiarũ Regis Catholici privilegio cautũ eſt, ne quis AVLI HALI Poëtæ Burdigalenſis, Civiſq; Toletani Poëmation de Advẽtu S. IACOBI à Lic. Ioanne Tamayo Salazar Notis illuſtratum, præter ipſius voluntatem, vllo modo intra Decennium imprimat, aut alibi impreſſum in Hiſpaniarum Regna, ſeu ditiones importet Regias, venalia-vè habeat. Qui ſecus faxit, confiſcatione Librorum, & alijs Pœnis in Privilegio contentis mulctabitur, vt latiùs patet in literis datis Matriti die 3. Maij Anno Dñi M.DC.XLVIII. Coram Ioanne Otalora Guevara Secretario Regio.

## *ERRATA.*

Pag 2. Rege- Regis. Ead. pag. ſlauct- -ſauet. Pag. 6. partitus- -partibus. Pag. 7. ſcribendam- -ſcribenda. Pag. 10. KEGNA- -REGNA. Pag. 23. patratata- -patrata. Pag. 25. Etocros- -Locros. Pag. 28 culca- -cultus. Pag. 29. quo - quot. Ead. pag. triplicitur triplicîter. Pag. 36. Otyppo- -Oryppo. Pag. 42. poſteo- poſtea. Pag. 56. vtſi- etſi. Pag. 78. prolibato - pralibato. Pag. 83. novus -novum. Pagin. eadem verus- -verum Pag. 92. epigraphe, epigrapphes.

Hic liber inſcriptus, Poëma AVLI HALI, demptis his mendis, ſuo exemplari fideliter reſpondet. Dat. Matrit. die 23. Menſ. Maij, Ann. 1648.

*Lic. D. Carolus Murcia*
*de la Llana.*

## *TASSA.*

ESTà taſſado eſte libro de AVLO HALO, Poëta de Burdeos, por los Señores del Conſejo de ſu Mageſtad a quatro marauedis cada pliego, como cõſta de la taſſa original, ſu fecha en Madrid a 3. de Iunio de 1648. ante Don Franciſco Vela de Arrieta Eſcrivano de Camara.

Digitized by Google

# AVLI HALI
## POETAE TOLETANI CARMEN HEROICVM.

*IN ADVENTV SANCTISSIMI Patris Noſtri IACOBI Hiſpaniarum Apoſtoli, & Patroni Maximi.*

AD SANCTISSIMVM

Bernardum Toletanum Antiſtitem, & Hiſpaniarum Primatem, Dominum, & Patronum ſuum.

*PLurima ſic Dominus fulgeſcere lumina ſeclis*
*Præcepit, tetricas humanæ noctis, vt vmbras*
*Clareret ſuprema poli de culmine flammæ:*
*Ergo licet natus Deo, hic de lumine Chriſtus*
*Lux ſit ſumma Deus; Sanctos quoq; iure lucernæ*
*Eccleſiæ rutilare dedit, quibus igne magiſtro*
*Senſibus inſtet amor, ſermonibus æſtuet ardor,*

*Multifidos verùm lychnos, quiſparſit in orbē,*
*Vt cunctum nova lux fidei, face fuſa ſub axem,*
*Omnia ſidereis virtutibus arva repleret.*

AVLVM HALVM Poëtam ſui ſæculi celebrem fuiſſe, indicat Iulianus Petri Archipresbyter Toletanus, qui in Chron. Ann. 1132. n. 633. hoc de eo elogium adnectit; *Viuebat hoc tempore iā ætate decrepitus* Aulus Halo *Poeta Burdigalenſis, donatus Ciuitate Toleti, ab Imperatore Alphonſo VI. quem dicunt veniſſe ex Gallia cum D. Regina Conſtantia, filia Regis Gallorum Henrici, ſororis Rege Philippi, cui munificus Imperator dederat villulam Arabicè dictam* Menalhabiam, *ab alijs vocatam* Villam-Halonis *Poëtæ. Semper hic Poëta celebris fuit. Scripſit enim elegantiſsime carmine* Adventum S. IACOBI Zebedæi filij ad Hiſpanias, fundationemque ab eodem factam B. MARIÆ Cæſaraugustanæ de Pilari, *idque vno libro, verſibus heroicis: Vitam S. Elpidij, Iuliani, Saturnini, Honorati, M. Marcelli Eugenij, Olimpij, Gregorij, Aſturij, Melantij, alterius Olimpij, Ildephonſi, Iuliani, Celſi, Mōtani, Viſitani, Blaſij, ſervi Dei, & aliorum ad Paſchalem vſque Toletanum Pontificem, elegantiſsimis verſibus: Coronationem Ildephonſi Raymūdi filij, Epitaphia multa, quæ dedicauit D. Bernardo Archiepiſcopo Toletano; & iam grandæuus cecinit in præſentia multorum Pontificum, Abbatum, & Palatinorum, eleganter Panegyricum carmen, Sidonium Appollinarem imitatus, in laudem eiuſdem Imperatoris. Obijt hoc anno Kal. Februar. iacetque in Sacello Eccleſiæ Maioris, quod eſt Sanctæ Margaritæ, cui Ego tale compoſui Cenotaphium:*

Dulce Poëtarum lumen, Gallæque & Iberæ
Gentis honos, numeris nobilitatus Halo:
Patria Burdigala eſt vati, Conſtantia Princeps
Attulit hunc ſecum, Gallica regna ſinens.
Ingenio felix, florens ætate Poëta,
Eius honeſtati Muſa Latina ſtavet.
Cui nil turpe placet, cui diſplicuere prophana
Omnia, Toleti Pontificeſque canit.
Atque Iacobe tuos adventus ad iuga noſtra,
Pilaris templum carmine concelebrat:

Hic

Hic ſit Toleti Ciuis, moriturque ſenectæ
Extrema, cunctis civibus in pretio eſt.
Vita decens, mores placidi, ſine felle venuſtas,
Vir pius hoc tumulo, conditur Aulus Halo.

En quæ de Aulo Noſtro Poëta invenire potuimus; apud Scriptores verò Gallos, altum ſilentium. Nec abs re; nam iſte in Hiſpania educatus, Toletique nutritus, & ipſa ciuitate donatus, ſuis copiã haud dediſſe credendum eſt; quia illam, patriam aſſumimus, vbi potiora iura poſsidemus.

AVLI) nomen commune apud Romanos fuit, vt indicant prope innumera à Grutero collecta in ſuis inſcriptionibus monumẽta. Quin, & apud Gallos, ſeculo Auli noſtri frequẽs mentio eſt apud Guillelm. Catell. in Antiquit. Occit. *lib.* 5. agẽs de Epiſcop. Viuerienſ. *fol.* 1022.

HALVS, ] non *Halo* cognomen Poëtæ, vt perperam apud Iulianum Noſtrum, in elogio, & carmine; nam, vt ex titulo huius operis, & ex finalibus carminis clauſulis, liquet; *Halus*, non *Halo* demonſtratur. En carmen

Accipe Sancte Pater mea hæc obſequia; Halus
En tuus.

Ergo cognominis notitia, apud Gallos, vix veſtigia reliquit, quæ cõmentum opplerent noſtrum.

POETAE TOLETANI, ) non quia origine Toletanus, ſed quia ciuitate Toletana donatus a Rege Alphonſo, vt Toletani Ciuis munere fueretur. Toletanus dici, & appellari maluit, vbi honores acceperat, quàm Burdigalenſis, vnde originem traxerat. Et non abſque exẽplo in diuinis, & humanis literis, quarum molem adiungere, longum eſſet. CHRISTVS Dominus, vt quid Nazareus vocatus eſt? Non alio, quam ex habitatione, & prædicatione. *Patria eſt* (inquit Curt. *lib.* 6.) *vbicumque vir fortis ſedem elegerit*. Quæ electio, ſeu habitatio *tantæ potentiæ eſt, quòd in ea transfertur naturalitas, quã natiuitas introduxerat*, vt refert Gregor. Lop. *in l.* 1. *tit.* 2. *part.* 2. *lit. D.* Auſonius Gallus, qui, vt Noſter Burdigalenſis fuit, Romam agnoſcit patriam, Burdigalamque patriam, fatetur. Si cauſam quæritas, illum auſculta.

Vtque caput mundi Roma inclita, ſi capite iſto
Burdigala ancipiti confirmat vertice ſedem:
Hæc patria eſt: Patrias ſed Roma ſupervenit omnes.



Digitized by Google

Diligo,Burdigalam,Romam colo:Ciuis in illa,
Conſul in ambabus,cuna hic,ibi ſella curulis.

Quæ omnes hic intelligunt carmina, propter ciuilitatem adeptam in vrbe Romana,vbi ad Conſulatus apicem pervenit. Singularis locus Ciceron.*lib.2.de legib.*pro huius rei corroboratione: *Ego meherclè, & illis,& omnibus,duas eſſe cenſeo patrias,vnam naturæ,alteram ciuitatis,alteram loci patriam,alteram iuris.* Ergo ciuitate donatus Aulus,meritò iuris permiſsione Toletanus Poëta vocitatur,cum & ciuis Toletanus,permittente indulgentia Principis,appelletur.

CARMEN HEROICVM IN ADVENTV S. IACOBI.) En opus, quod a Iuliano Noſtro,in elogio refertur. *Scripſit enim elegantiſsimo carmine Adventum S. IACOBI Zebedæi,filij ad Hiſpanias.* Et licet illis temporibus elegantiſsimum viſum ſit,vt illa ferebant ſecula, non eſt cur criticis,& neotericis verſificatoribus, nunc demetri regulis, nauſeam pariat; quin potius pijs oculis,pium amplectantur opus, ſecluſa proſodiæ indagatione. Spiritum enim non literam exquiramus,iſta occidit,ille viuificat. Vtvt ſit Carmen hoc qualecumque in manus noſtras pervenit in vetuſto codice,literis penè Goticis exaratum, cum alio carminum libello,in quo varia Sanctorũ Hiſpanorum ſepulchralia,elegiæ,hymni,& iſtius generis alia,quæ in meo Hiſpanico Martyrologio ſuis locis apponimus,continentur. Illum ergo Codicem,inter librorum molem cuiuſdam Grammatici Magiſtri,vulgo *el Ciego de Toledo*,quam venalem expoſuerat Librarius nomine *Andrada* in ipſa vrbe,inveniens,cũ alijs MM. SS.vetuſtioribus,accepi,& cõtinuo labore perlegi,excripſi, & eruditorum bono,excudendum propoſui, hiſce notulis illuſtratum. De aſſumptu operis ſcripſere innumeri, quos in vnum congerit Alphabeticè D. D. Antonius Calderon, Canonicus Magiſtralis S. E. Tolet. Sanctimonialium Regalis Cœnobij vulgò *de la Encarnacion*,apud Matritenſes, Archicappellanus, & S.D.Infantis Hiſpaniarum Magiſter, Vir eruditione inſignis,antiquitatis perſpicax,prudentia clarus,& auctoritate conſpicus, in ſuo de Excellentijs S. IACOBI ZEBEDÆI opere,quod cito typis tradere parat.

AD SS. BERNARDVM.) Hic primò fuit Abbas in Cœnobio Regali SS. Facundi, & Primitivi fratrum,Martyrum Hiſpanorũ,apud CEAM antiquam vrbem,ex Ordine Benedictino. Poſt ab Alphonſo VI. recepta vrbe Toletana,primus ipſius Eccleſiæ Archiepiſcopus inauguratus,de cuius virtutum cumulis, plura apud Scriptores Noſ-

tros,

Digitized by Google

tros,& Gallos;inter quos Sanctitatis titulo cōdecoratus,in Martyrologio illius Provinciæ,locum abſque dubitatione promeruit, vt refert Andr. Suaſſay Vicarius General. Pariſienſ. *to.2.fol.1102.*& in Albo SS. Benedictinorum, apud VVion. *lib. 3. die II. April.* & Hug. Menard. *eod. die. fol.* 28. Et in Generali Catalogo Sanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano, Philipp. Ferrar. *fol.* 134. Nos in Noſtro Martyrol. Hiſpan. *tom. 2. die III. April.* quò varia de eius Sanctitate congeſsimus. In hocce meo M. S. Codice adeſt carmē ſepulchrale, huic Sanctiſsimo Antiſtiti, eiſdem characteribus, fortè ab ipſo Poëta Noſtro conſcriptum, cùm Bernardo ſupervixerit, & epitaphia plurima ſcripſiſſet, vt inquit Iulianus. En Carmen:

*AD TVMVLVM BERNARDI ARCHIEpiſcopi Toletani, & Hiſpaniarum Primatis.*

Quis tumulo hoc tegitur? Præſul venerabilis almus,
 Inclitus ingenio; moribus ingenuus.
Nomine Bernardus; Gallus origine, & Abbas
 In Facundino celebre Cœnobio.
Vrbis Toletanæ Primus en ordine Præſul:
 Occidui Primas Orbis, & Vrbis erat.
Templa Deo, Templis Monachos, Monachis dedit Aras
 Nequitiæ lapſum, Iuſtitiæque locum.
Noluit eſſe ſuis Dominus, ſtuduit Pater eſſe;
 Semper in adverſis murus & arma ſuis.
Moritur: heu quantos mors ſecuit omnibus artus!
 Heu quantum nobis fata tulere decus!

*Obijt Sanctiſsimus Pontifex III. Nonas Aprilis*
*Era M. C. LXVI. ſepelitur in AEde Tolet.*

ANTISTITEM TOLETANVM.) Hoc eſt Archiepiſcopum Toletanum, quia ipſe fuit primus hoc titulo inſignitus, Nam antea ſolo Epiſcopi nomine contenti Præſules omnes Toletani, etiam ſi Metropolitica dignitate fruerentur, aliud ſublimius quærere, nefas erat. Et ſi aliquando, Presbyteri. Papæ, & Pontifices appellati ſint, vniuerſi Eccleſiæ Prælati, vt ſunt vulgaria teſtimonia.



Digitized by Google

HISPANIARVM PRIMATEM.) Titulus eſt Patriarchalis, pro quo contentio fuit inter Archiepiſcopos Braccarenſem, Tarraconenſem, Cæſarauguſtanum, & Compoſtellanum, de qua videndus Loayſa, *ad Concil. Tolet. fol.* 280. *& ſequent.* pro Braccarenſi ſcripſit *D. Roder. de Acuña*, pro Toletano *D. Didacus Caſtejon & Fonſeca*, ille Archiepiſcopus Braccarenſis, iſte Epiſcopus Turiaſonenſis. Sed ad carmina veniamus.

PLVRIMA SIC DOMINVS.) Introductio operis, per comparationem lucis; nam quemadmodum Deus fecit lucem, vt noctis, & horroris obſcuritatem præſcinderet, ſic Vnigenitum Filium ſuum D. N. in caligantis mundi humanam dimiſit noctem, vt omnia doctrinæ claritate diffuſæ abſcondita penetraret, & caligine expulſa, ad lucis reduceret claritatem, per ſe, & per Apoſtolos, qui Evangelij Magiſtri, in omnẽ terrã exeuntibus ſono eorum, & in fines orbis terræ verbis eorũ, vniuerſum Evangelica complerent doctrina orbem.

*Vltima ſic Noſter compulſus ſorte IACOBVS*
*Illicò totius Hiſpaniæque cacumina luſtrat,*
*Cùm Duodeno ſectante choro, cui ore Magiſter*
*Tunc ſacra meliori firmauit robore corda.*
*Huius in Hiſpanias adventum edicere Præſul*
*Nunc Toletane iubes: fidei promiſſa reſolvo.*

VLTIMA SIC NOSTER.) Procedit in alluſione comparationis. Ideò IACOBVS, vt Apoſtolica lux luſtrat Hiſpaniæ cacumina, more Solis naſcentis, qui montium ſupremos illuminat primò vertices. Ovid. *lib.* 1. Metam.

Sol qui terrarum flammis opera omnia luſtras.

In qua etiam alluſione, duodeno circundatur choro, quemadmodum Solem, duodena Aſtrorum cohors inſequitur, per cuius ſedes circuẽs ille anni ambitum, & terræ influxum conficit. Virg. *lib.* 1. Georg. *verſ.* 231.

Idcirco certis dimenſum partitus orbem
Per duodena regit Mundi Sol aureus aſtra.



Digitized by Google

Hvivs in Hiſpanias Adventvm.) S. Iacobi Adventum in Hiſpaniã canit hoc Poëmate per interpellationem S. Præſulis Bernardi,cui vt obtemperet,promiſſam fidem,opere ſoluit.

*Cuius cuncta licet nequam, tamen inclyta malim*
*Commemorans operum,veſtigia tangere verſu:*
*Queis pateant interna ſacræ fundamina legis.*
*Tu,rogo,Summe iuva donorum Spiritus auctor,*
*Te ſine, nam dignè fari mea gratia neſcit:*
*Flãmivomiſq; ſoles dare iã nova famina linguis,*
*Munera da linguæ,ſcribenti dona IACOBI.*

Cvivs cvncta.) Omnia a Iacobo patrata edicere Poëta,haud valẽs,vtique inſigniora proferre ſatagit carmine opera, vt ex illis originem noſtræ ſalutis per Evangelium breuiter manifeſtet. Quo fere omnes Oratores,& Poëtas eſt luculenter imitatus,qui in exordio operis,quæ ſint heroicè,breui ſcribendam periodo cõmemorant. Quod ab Eruditis *Propoſitio diſtributiua* dicitur,& cùm *Diſtributioni* tria ſint neceſſaria,ſcilicèt *Breuitas*, *Abſolutio*,& *Paucitas*,totum tribus carminibus complexus eſt breuitate,abſolutione,& paucitate.

Tv, rogo.) Subſequitur deprecatio,quà Almum Spiritum, à Patre,& Filio procedentem,Deum Verum, in ſuum auxilium alloquitur,vt tanquam Auctor,& Diſtributor donorum,iuvamen ad dignè verſificandum illi pie tribuat canenti;cùm nulla ſit facundia abſque Sancti Spiritus gratia.Quod vt facilius conſequatur, duplicem Paraclito interpellationem proponit.I.deſumpta ex Aduentu ipſius Sancti Spiritus in Apoſtolos,*Act.c.*2.& vt canit Eccleſia

Ignis vibrante lumine
Linguæ figuram detulit.

Secunda ex meritis Apoſtoli,cuius adventum in Hiſpanias,depingere parat.Quia quod ipſe Poëta per ſe non meretur,ſaltem Herois ſuffragijs conſequatur.Quod Eccleſia ſedulo docet: *Quod noſtris meritis non*

*vale-*

*valemus, eius* ( *Sancti* ) *patrocinio aſſequamur.* Frequens apud Poëtas cautela.

*Poſt Chriſtus completa necis mandata Parentis,*
*Funere finito, proprio tunc corpore ſumpto,*
*Poſt triduum viuus (populo mirante) reſurgit:*
*Qui demum poſt quatuor eius à tempore decem*
*Soles, conſpicuus ſuperas volitavit ad arces;*
*Denique iam Spiritus almi prolapſa loquela;*
*Vltima Sextilis die, iamiam tempora clamant*
*Vt noſtri mandata Patris concredita ſolvant.*

POST CHRISTVS.) Narrationis exordium, quod ab origine ad finem operis conducit. Qui cùm diſceſſum Iacobi eſſet enarraturus, & illud, vſque ad Spiritus Sancti adventum, exequi nõ poterat, *Act. c. 1.* ideò Chriſti mortem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, & Sancti Spiritus Adventum præmittit, quæ etiam præcedere neceſſum erat, vt Evangelij teſtes eſſe poſsint Apoſtoli in vniverſum Orbem. *Et conveſcens* ( inquit Lucas ) *præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſsionem Patris, quam audiſtis* (*inquit*) *per os meum; quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, nõ poſt multos hos dies,* & infrà: *Sed accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Si ergo ad vltimum terræ Iacobus Evangelium erat perlaturus, præcisè Spiritus adventum Parachiti ſpectare debuit, vt vltimum à Chriſto Domino commendatũ myſterium.

VLTIMA SEXTILIS DIE.) Hoc eſt die XXX. Iunij. Quæ adſignata creditur à Petro Apoſtolorum Principe, ad ſortiendas Orbis partes, vt vnuſquiſque Apoſtolorum, illas luſtrans Evangelicæ veritatis regulã ſeminaret. *Vltima die Iunij* (inquit Dexter in Chron. Ann. 34.) *Sancti Dei Apoſtoli, quadraginta, & octo diebus plus, minus vè,*

poſt

*poſt Adventus Spiritus ſancti conueniunt*. Quo loco videndus P. Biu. *Com.7.num.2.fol.38.*

*Tunc electa cohors Marci conquarita domo*
*Convenit in vnum; ſic conciliatuq; catu*
*Divina adſpirante manu, quot condita mundi*
*Cuilibet obtingit Patrum, educere regna*
*Carcere de tanti vaſto confuſſa Tyrranni.*

TVNC ELECTA COHORS.) Ad indiuidua deſcendit, locumque Concilij adſignat, in cuius indigetatione puntuali variæ, vt ſunt capita, ſunt ſententiæ, Flav. Dext. *Ann.* 34. ſic: *Conueniunt in cœnaculo Sion, quæ domus erat Mariæ, matris Ioannis, cognomento MARCI, & habito Concilio, ſortione diuina, Provincias mundi, prædicationis cauſa, interſe partiuntur*. Tantum ergo Scriptorem inſequitur Poëta noſter; ſi aliud fuerit, doctioribus relinquet.

DIVINA ADSPIRANTE MANV.) Id eſt Dei potentia diſponente. *Manus* enim in ſacris literis potentiam repreſentat, Pſalm. 94. *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos: quoniã non repellet Dominus plebem ſuam*, quia in manu eius *ſunt omnes fines terræ*, Iſidor. noſt. *lib.7. de Orig. c.2.* ſic de Dei filio: *Manus Dei eſt, quod omnia per ipſum facta ſunt. Hinc & Dextera propter effectum operis, totius creaturæ, quæ per ipſum formata eſt*. De quo plura apud Scripturarios.

QVOT CONDITA MVNDI.) Inter ſe partiti ſunt mundi climata Apoſtoli, vt ferrent nomen Domini per Orbis vniuerſa. Sed quæ ſors cuique obtigerit, præter Freculphum, *Hiſt. tom.2. lib.2. c.4.* per pulchrè in *Hymno Muzarabi per vetuſto S. Eccleſ. Tolet.* præſcribitur.

Petrus it Romam, frater eius Achaiam,
Indiam Thomas, Levi Macedoniam,
Iacobus Iebus, & Ægyptum Zelotes,
Bartholomæus Lycaon, Iudas Edeſſam,
Mathias Iudam, & Philippus Galliam.

Magni deinde filij tonitrui
Adepti fulgent prece matris inclitæ
Vtrique vitæ culminis inſignia:
Regens Ioannes dextra ſolus Aſiam,
Et læua Frater poſsitus, Hiſpaniam.

De hac ſortione varij varia dixere, deque Provincijs vnicuique Apoſtolorum obtingentibus. Quorum tergiverſationes apud P. Franc. Bivar. *ad Dextr. Ann. 34. Coment. 7. n. 2.* reperies.

*Hiſpaniæ tunc regna (Deo inſpirãte) IACOBO*
*Contingunt. Populos (tũc inſinuante MARIA)*
*Protinus activo Pater hos quærebat amore.*
*Primò Iudæus cognouit dogmata CHRISTI*
*Ipſius ex ore: vltimo ſe iam tradidit vndis,*
*Quo felice demum tractu penetrauit Iberum.*

HISPANIAE TVNC REGNA.) Quod ſorte, diuinaque diſpoſitione Hiſpaniam obtigerit IACOBO noſtro Provinciam; non eſt cur iam ambigatur, poſtquam devictis oblatrantium cachinis, & ſuffocatis obgannientium latratibus, Eccleſia vniuerſalis affirmativã eſt amplexus in Nouo Breuiario Romæ edito veraciter opinionem; de quo ſcripſit libellum *D. Thom. de Monroy*, Canonicus Abulenſis, in quo, quæ circa huiuſmodi victoriam acta Romæ fuere, compendioſe, procedit. Auctores, qui hanc veritatem fatentur, congerit, vt diximus, *D. D. Antonius Calderon.*

PRIMÒ IVDAEVS.) Non quód ipſe primus in Iudæa prædicauerit, ſed quod ante eius in Hiſpanias adventum, Iudæi Iacobi prædicationem audierãt ex *Abd. Babylon. Sophron. Doroth.* probat Michael Marc. de Villar. *fol. 51.* ſic: *Iacobus, frater Ioannis ad Euangelizandum in Hiſpania delegatus, accepto ſymbolo, primùm quidem iuxta Domini præceptum, Iudæis Verbum Domini annuntiauit in Iudæa.*

*Moreque Apoſtolico, duodenno cingitur almo*



Digitized by Google

*Concomitum choro, quos planè myſticè ſacrat*
*Eccleſiæ officijs. Nam Baſilio, Pio iunctim,*
*Maximo, Chryſogono, Athanaſio detulit altum*
*Ordinis officium: Theodorus Cæciliuſque*
*Iſcius, & Theſiphons, Calocero iuncto, minores*
*Lectorum gradus primi recepere rogati:*
*Tantum Torquato Exorciſtæ fulmina credit:*
*Euphraſio, Indaletio, nunc ſimul, atq; Secundo*
*Eccleſiæ commendat amans, tunc proſpere claues.*
*His iunctis, Chriſti populus, comitante caterua,*
*Plurimus elabitur ſecum, quos nomine ſumpto*
*Diſcipulorum, Prælatos fecit Iberos.*

MOREQVE APOSTOLICO.) In hiſce propoſitis carminibus, ad pedem vt aiunt literæ, tranſcripſit *Halus* Noſter *Flauium Dextrum*, cuius Chronicon vidiſſe, hæc ipſiſsima verba manifeſtant. *Multos etiam Diſcipulos* (audi ex Dextro, *Ann.* 37. conſonantiam) *præcipuos autem numero duodecim, more Apoſtolico in Hiſpaniam ſecum portat; ſcilicet Epiſcopos: Baſilium, Pium, Athanaſium, Maximum, Chryſogonum, Presbyteros: Theodorum, Cæcilium, Theſiphontem, Iſcium, Calocerum, Lectores: Torquatum, Exorciſtam: Et Secundum, Indaletium, Euphraſium, Oſtiarios.* De numero Diſcipulorum IACOBI, & an omnes ſecum ex Hieroſolymis duxerit, variè diſceptatur, videndus P. Biu. *ad Dextr. Ann.* 37. *comm.* 2. *n.* 1. *fol.* 70. qui copioſe rem tractat, & Diſcipulorũ nomina, Epiſcopatus, & actiones inſinuat.

*Ergo ſoluto velo, portu in Carthaginis altæ,*
*Contiguis populis Chriſtum prædicit IAGVS;*
*Poſt Liberitanæ priſcæ vrbis littora luſtrat,*



Digitized by Google

*Quo antiquũ è tumulo ſolvit, precãte, Prophetã,*
*Quem primum Paſtorẽ accepit Braccara diues.*
*Igitur incepto meſsis tunc ſemine, Sanctus*
*Omnis Apoſtolico regionis more IACOBVS*
*Vrbes inluſtrat ferè; quo, poſt, munere Chriſti*
*Eccleſias ſignat, quibus vnice Epiſcopus almus*
*Ponitur, eligitur, qui legis dubia pandat.*
*Præficit Elpidium Toleti, Barcino novit*
*Etherium; fruitur Carthaginis inſula Divo*
*Baſilio; poſt Eugenio Valentia ſedes;*
*Tarraco ſic Agatho, Capitonem Luca Galeca;*
*Neſtorem Pallentia cupit; ſed Aſturica Græca*
*Præſulis Ephremi; Brigenſis Iullia poſcit*
*Arcadij, læto vultu, cum nomine, normam.*

ERGO SOLVTO VELO.) De Portu, quo ſolvit Apoſtolus noſter, cruenta inter littorales Hiſpaniæ populos, licet pia, cõtentio eſt. Pro Carthaginis Spartariæ emporio ſtat noſter *Halus*, pro ſua opinione ſtat Sandoval, *Hiſt. Tudenſ. fol.* 15. quem nos ſubſequuti fuimus in *Hiſt. S. Epitatij cap. 2. n. 6. fol. 73.* pro Valentia, *Seolanus*, pro Tarracone, *Pons Icart*, pro Braccara, *Acuña*, pro Bætica, illius Scriptores. In huiuſmodi controuerſia, vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.

POST LIBERITANAE.) Pro Illiberitanæ vrbis, hodie *Granada*. Cuius hiſtoriam ſcripſit *Bermudez* vniuerſaliter, candemque typis mãdauit, primò in 4. poſt in folio. Aliam meditatur de eius Divis *R. P. F. Petrus à S. Cæcilio*, ex ordine Recolectorum S. Mariæ de Mercede, cuius pietas erudita, abſque dubiò finem debitum aſſequetur.

QVO ANTIQVVM E TVMVLO.) Agit de *S. Petro Ratenſi*, quem Sanctus IACOBVS ſuſcitauit, de cuius prodigioſo miraculo agunt P. Biuar ad *Dexterum in Chron. Ann. 37. n. 2 fol. 56. & 57.* Fragment. *S.*

*Atha-*

Digitized by Google

*Athanaſij Cæſarug.* à *Sandoval, Acuña,* & *Bivar* relatum, quorum remiſsiones apud me *in Hiſt. S. Epitat. d. c. 2. n. 5. fol. 7.*

Quod fuerit Epiſcopus I. Braccarenſis *S. Petrus Ratenſis*, poſt Dextrum, Athanaſium, Concilium Braccarenſe, & alia antiqua monumenta, videndi Vaſſeus, Marinæus, Morales, Marieta Truxillo, Zianca, Sanctorus, Villegas, & alij à Bivario relati, & poſt eos *P. Anton. Vaſconcell. in Deſcript. Luſit. fol. 436. n. 9. D. Roderic. de Acuña Hiſt. Bracc. tom. 1. c. 7. fol. 27. & in Hiſt. Portuenſ. 1. p. c. 2. fol. 19. Eman. Campos de Tranſlat. Reliq. olyſipon. fol. 99. & fol. 379. in quo hoc Octaſtichon.*

O quam ſunt ſimiles Petrus pater Orbis, & Vrbis
  Alter, & occiduo, qui micat orbe, Petrus.
Iura Italis primus ſtatuit cœleſtia Petrus,
  Primus, & Hiſpanis dat ſacra iura Petrus.
Paſtor vterque ſuo fidei documenta reliquit
  Rara gregi, hic primus, primus & ille fuit.
Roma Petro felix, felix quoque Braccara Petro,
  Braccara nam Petro eſt, Roma ſecunda, ſuo.

*Georg. Cardoſ. in Officijs SS. Luſitan. hymn. 2. fol. 5. F. Ludovic. de Souſa Hiſt. S. Dominici Provint. Luſit. lib. 6. c. 1. Gaſp. Stat. in Antiquit. Luſit. c. 57. & ſequent. F. Bernard. Brit. in Monarch. Luſit. tom. 2. lib. 5. c. 3. & 4. Ferè omnes Martyrolog. Scriptores, & ego in meo Hiſpano tom. 2. die XXVI. Aprilis, vbi plura.* Et vniuerſalis Eccleſiarum Luſitaniæ traditio in officijs.

Vrbis inlvstrat.) Communis aſſenſus noſtrorum eſt, *B. Iacobum* noſtrum perluſtraſſe ferè omnes Hiſpaniæ vrbes, præſertim quas, titulo honorificentiæ, dignitatis, & commercij inſignitas invenit, vt Municipia & Coloniæ, quibus frequens populus, & doctiorum confeſsio eſt *Dext. Ann. 37. n. 1.* ſic: *Nam, & IACOBVS Sanctus Apoſtolus, Zebedæi filius, peragratis vrbibus Hiſpaniæ, multiſque erectis Eccleſijs, & Epiſcopis creatis, &c.* En penè omnia *Hali* verba. Eadem *Calixt. II. de Mirac. S. Iacob. c. 12.*

Praeficit Elpidivm Toleti.) Omnium iſtorũ Præſulum nomina, licèt in Menologijs, & Martyrologijs repetita cognovimus, at nec Hiſpanos ſuſpicabamur, nec vrbium ſedes exploravit obtutus, donec lux lucida Lucij Dextri illucens totam obſcuritatis nebulam diſſolvit *in Chron. Ann. 37. n. 3. apud Biv. fol. 69. apud Car. fol. 15. col.*

2.his verbis: *Alios etiam S. IACOBVS creauit Epiſcopos, alterum* Baſilium, *qui primus fuit Carthaginis Spartariæ Præſul*; Eugenius *Valentiæ*; Agathodorus *Tarraconenſis*; Elpidius *Toletanus*; Ætherius *Barcinonenſis*; Capito *Lucenſis*; Ephrem *Aſturicenſis*; Neſtor *Palentinus*. En *Hali* noſtri concordia. Iterum Dexter eorum meminit, cum de agone ab ipſis conſummato apud *Cherroneſum*, hodie *Peniscola*, prope *Valentiam*, agit. *Ann.60*. De quibus ſcripſere, aut tumultnariè, aut ſeparatim, poſt Dextrum, Iulian. *in Chron. n. 22. & 25* Sampyr. Aſtur. *in Chron. Er. 917. fol. 61*. P. Quintanadueñ. *Hiſt. SS. Hiſpal. fol. 53*. Spinoſ. *Hiſt. Hiſpal. lib. 2. c. 4 fol, 38*. Ægyd. Góç. Dauil. *Theatr. Eccleſ. Aſtur. lib. 1. c. 4.* & in *Hiſpal tom. 2*. D. Petr. Aingo Ezpel. *in Fund. Eccleſ. Aſturic. §. 3. n. 19*. D. Maur. Caſtell. *Hiſt. Compoſtell. lib. 1. c. 22. fol. 81*. Morill. *Hiſt. Cæſaraug. lib. 1. c. 8*. Ludov. Lop. *ead. Hiſt. tom. 2. c. 4. fol. 381*. Gaſp. Scolan. *Hiſt. Valent. lib. 2. c. 1. n. 13. fol. 221. tom. 1*. P. Diago *ead. Hiſt. tom. 1. lib. 4. c. 7. fol. 143. col. 4*. P. Ojea *de Advent. S. Iacobi c. 8*. Barnab. Moren. *Hiſt. Emerit. lib. 2. c. 1. fol. 63*. D. Franc. Caſcal. *Hiſt. Carthag. diſcurſ. 20. c. 3. fol, 424*. D. Franc. de Sandov. *Hiſt. S. Antonini, §. 7. fol. 64*. Ioann. Paul. Martyr Rizo *Hiſt. Conchenſ. c. 5. fol. 24* D. Thom. Tamayo *in Verit. Dext. Nov it. 7. fol.*. Illuſtr. Epiſcop. Turiaſon. *in Primat. Tolet. 1. p. c. 6. fol. 30*. D. Roderic. de Acuña *Hiſt Portuenſ. 1. p. c. 2. fol. 37. & 38* & in Hiſt. *Bracar. 1. p. c. 19. num. 5. fol. 98*: Ego in *Martyrol. Hiſp. tom. 2. die IV. Martij*. De Tranſlatione corporis *S. Elpidij Toletani*, agit *Luitprandus Adverſ. 293*. quod poſtea ad *Metenſium* Eccleſiam translatum fuit a *Theodorico* ipſius vrbis Epiſcopo, vt ipſe enarrat *Diaconus*, cuius aſſertioné probaui in dict. Martyrologio Hiſpan. *ex Gallicano Sauſſ. tom. 2. fol. 997 & ex Sigebert. Gemblacenſ. in Chron. Ann. 969.*

*His ſic compoſitis rebus complurima Divus*
*Idola confregit (Chriſti veritate probata)*
*Publicè, miratur Gentilis corpore duro,*
*Cordeque duriori, nec ponderat animo verbum.*
*Quos non ore Pater perduxit, claue ſoluta,*
*Mébrorũ ad greſſũ? Quibus hic nõ reddidi vltro*

*Aut*

*Aut vitam, aut vocem? Quibus offuſcato ſonoro*
*Auditus numero, non iam reſerauit & aurem?*
*Omnia Gentilium cervix præpoſterat, omne*
*Idola quod negat (paſsim reſecato virore*
*Crucis) perfugit; nulluſque ad limina tangit*
*Eccleſiæ; nullus ſacrati vndamina poſcit*
*Liquoris vitæ; tetro ſub tegmine mortis*
*Quilibet immergi potius, ac tingere caput*
*Efflagitat, lymphis, fide data, Spiritus almi.*
*Muneris at tanti, quòd compleat onera, voce,*
*Prodigijs, verbis, fide, vel conamine Chriſtum*
*Prædicat, exaltat, repetit, tunc vocibus iſtis.*

His sic compositis.) In ſuperioribus Poëta noſter, per anticipationem proceſsit. Nam primò prædicationem, poſt converſionẽ, & vltimò Epiſcoporum electionem præſtingere debuerat, vt veræ narrationis terminos amplecteretur. Sed cùm Poëtis ſemper quælibet audendi fuerit tributa poteſtas, quid mirum, ſi confuſis doctrinæ regulis ad licentiæ conatus accedat? Hiſce ergo carminibus miracula (quæ in prædicatione acceſſerant Evangelij) patratara à Iacobo noſtro commemorat. Quin etiam quantam duritiem in Gentilium cordibus inveniſſet Apoſtolus, vt vix fuerint, qui ad fidem converterentur Catholicam, Decem, aut Gentiles, aut Iudæi in Hiſpania, ſecundum *Hali* noſtri opinionem.

De prodigijs in prędicatione S. Iacobi apud Hiſpanos factis, præſumptio ſtat pro expreſſo Dei verbo, *Marc. c.* 16. quin imò reſurrectio *S. Petri Braccarenſis* Epiſcopi omnium ſuprema ſuperat miraculorum acumina, & Dext. *d. Ann.* 37. illa ſpeciali adſignatione confirmat, inquiens: *Iacobus quoque multa miracula patrat.*

Omnia Gentilium cervix praeposterat.) Ferox Hiſpanorum animus haud deliniri, voce; & prodigijs patiebatur. Sic ve-

tus

tus opinio, quæ fortaſsis tempore *Hali* noſtri divagabatur, ipſamque obliterauit temporis qualitas, cuius eſt *antiqua confundere, & noua producere*: Dext. d. Ann. 37. in hunc modum alloquitur: *Virtute verò ſermonis feroces Hiſpanorum animos ad ſuaue Chriſti iugum* (IACOBVS) *adducit*. De quo videndi penè omnes, qui de eius ſcripſere Adventu.

Denique formam prædicationis Apoſtolicæ inſinuat hiſce verbis, deſumptis ex *S. Athanaſij* ſymbolo; non quia formaliter tempore *Iacobi* fuiſſet conditum, ſed quia ſubſtantialiter (credendum eſt) repertum.

*Vult quicumque bonis ſecurum viuere cœlis*
*Lucis opes, niueaſque domos, campoſque ſerenos*
*Sortiri, & menſis æternum veſcier almis;*
*Ardua vota nimis, quæ non niſi viribus altis*
*Fas implere; Fidem decet omni mente beantem*
*Catholicã, veri teneat ſuper omnia CHRISTI.*
*Quæ niſi fixa manens venas intraverit omnes*
*Pectoris, vna placens ſuperis hæſura catervis,*
*Cernere fas numquam dabitur ſuprema beati*
*Regna loci, vitæ nec ſumere dona quietæ.*
*Hæc tamen alma fides: Oculos huc vertite gẽtes,*
*Quas lætale malum, fumoſis nata ſub vmbris*
*Fætida ridiculi merſat doctrina veneni;*
*Fecis aquatum ſanis amorem excludite venis;*
*Effugite antiquæ penitus fruſtrata catenæ*
*Pondera; iam grauidas implerunt ſigna figuras;*
*Iam peperit Parens; nebulas egreſſa priores*
*Lux nova, iamque nobis impleta ſcrinia chartis;*

*Gig-*

*Gignit, & hic Natū, pariter veneremur & illū:*
*Nā Deus ille potēs, princeps de principe, vivēs*
*De magno, magnus, qui conſors, compar, & vnus*
*Cum Genitore Deus, per quem ſunt cætera, ſolus:*
*Spirat vterq; bonum, communi nomine, Sanctū,*
*Quem pariter dulcem, proni, veneremur amorē:*
*Nam Deus ipſe potens, ſimul eſt, & ſummus; & hi tres*
*Vnica perſonis veneranda eſſentia ternis:*
*Eſt non vna quidem, triplex perſona, nec ipſa eſt*
*Tridiſtincta manens, tamen vna eſſentia, non què*
*Vnum perſonis eſſe hoc partitur in ipſis,*
*Quæque tamen totum perſona eſt, eſſe beatum.*
*Sic vt proprietas perſonis vera ſit, in què*
*Vnitas eſſe, modo ſint æquaque culmina dempto;*
*Vna poteſtatis ſit lux; vnumque decoris*
*Sit Numen; ſocialis apex: Perſona Parentis*
*Eſt alia; & Nati eſt alia; Spiritus almi*
*Eſt alia, & ſic non plureſcunt Numina; namque*
*Et Patris, & Nati, & Sancti Spiritus vna eſt,*
*Quam non perſonæ diſcindunt gloria ternæ.*

VVLT QVICVMQVE.] Incipit Poëta Symbolum Athanaſij numeris deſcribere, in ea tantum parte, quæ ad Divinitatem ſpectat. In quorum carminum contextura, mirificè Dei eſſentiam in vnitate, & per

ſonarum diſtinctionem in Trinitate connectit. Aliqua ſuxit ex Aurel. Prudent. Noſtro *in Apotheoſ. adverſ. Sabell. Hæret.*

Hæc eſt noſtra ſalus; hinc viuimus, hincque animamur,
Hoc ſequimur, numqnam detracto nomine Nati
Appellare Patrem, Patris, & ſine nomine numquam
Natum noſſe Deum, numquam niſi Sanctus, & vnus
Spiritus interſit; Natumque, Patremque vocare:
Sic tamen hæc conſtare tria, vt ne ſepare ductu
Tres faciam, tribus his ſubſiſtat, ſed Deus vnus.

Et à *Sedulio* item Epiſcopo *Oretano* noſtro, vt inquit Dext. *in Chron. Ann.* 428. quod & agnoſcit F. Ioann. Colgan. *in Act. SS. Hibern. die* 12. *Februar. c.* 4. *fol.* 322. & Nos eod. die, *in Martyr. Hiſp. tom.* 1. Qui Sedul. *lib.* 1. *tit. de Vnitat. S. Trinit.* inquit:

Semper & vna manens Deitatis forma perennis,
Quod ſimplex triplicet, quidque eſt triplicabile, ſimplet,
Hæc eſt vera fides.

*His, & alijs fideique demum prolatis, IAGVS*
*Septenos potuit ergo convertere Iberos:*
*Quo ſic tanto mœſtus penè labore IACOBVS,*
*Animo convoluens iam tot fruſtranea verba,*
*Quæ varij recepere flatus, quæ barbarè calcat*
*Gens fera; cœlos intuetur, quò plenus amore*
*Gregis, ſequentes cordis intonat hiatus,*

SEPTENOS POTVIT.) Tot prodigijs ab Apoſtolo noſtro patratis, tot veritatis rationibus à IACOBO prolatis, Hiſpanorum durities (inquit *Aulus*) ſeptem tantum pediſequas amandauit. De quorum fe-

ritate

ritate demiratus, & de tam parvæ meſsis fœnore mæſtus Apoſtolus, agnoſcens laboris penſum, inane; charitatis in proximum ardore, tumultuarijs ſuſpirijs exclamans, Deum, & Virginem interpellat. *Septenos.* Hoc eſt ſeptem ad fidẽ ad traxiſſe Diſcipulos; in quo illorum opinionem amplectitur, qui tantum ſeptem convertiſſe Chriſticolas fatentur. Cum apud alios *novem*, apud alios *tredecim*, & apud alios plurimi compulſentur. De quo videndi Alderet. *in Antiq. Hiſp. lib. 2. cap.* 12. Puente *in Monarch. lib. 2. c. 35. §. 4. in fine fol.* 365. Bivar. *ad Ann.* 37 *Dextri Comment. 2. fol. 70. & ſeqq.* & ferè omnes qui de *S. Iacobo* ſcripſere. Omnia hęc Carmina complectitur Ferreol. Locr. *in Maria Aug. lib. 2. c. 2.* ſic: *Cùm namque B. IACOBO Apoſtolo Sanctiſsima Mater legationem ad Iberos ſignaſſet, quò gentem iſtam Idololatriæ cœno, craſſe indormientem, ad Chriſtianæ fidei ſplendorem, qua poſſet induſtria provocaret, & audiens ille, deſudatis multis laboribus, novem modo animas, nec plures lucro adiecisſet, adeòque multa cum ſocijs, quos paucos ſecum habebat, ad Iberi fluminis ripas, quæreretur: ecce ſubito ex Paleſtina ad Hiſpanos Angelico famulitio Virgo transfertur, & IACOBVM angore conſtrictum cernens, affatur, doloremque ponere iubet.*

*Alme Pater ſceptro reſides; qui celſus in alto,*
*Aſtra, poloſq; potens, qui terras, æthera, lymphas,*
*Cunctaq; per ſolum feciſti ſæcula Natum;*
*Quem tibi ſemper habens, de regni ſede decori*
*Miſiſti in terram, quòd captæ horrẽtia turbæ*
*Vincla terat, maculam terſurus ſanguine diram.*
*Scis bene, nonq; latet, patiẽs hic Agnus, & inſons*
*Vulnera quot, quales portauit ipſe labores;*
*Pallia quæ nudo; capiti quæ ſerta verendo;*
*Quæ cruce mella bibat, cultris trãſfixus acerbis;*
*Ille obijt: Ecce tui ſubierunt tecta Coloni,*
*Tecta aliena; Parens minantes reſpice Milvos,*

*Hæſuroſq; Canes, & noſtra in vulnera ſæuos*
*Conſpiraſſe Lupos; tua hæc propago peribit*
*Ni Pater attendas: agnos quæ in ſola tegendos*
*Spes erat, tetro nunc in caligine marcet:*
*Licet adhuc vivit nunc, non ſi ſola manebit*
*Vivet; eia venæ iam iam vacuantur obuſtæ.*
*Auctor opis faueas, nec noſtra hæc ſamina perdas.*
*Deficit ecce Pater meſsis, non deficit inde*
*Agricola, hic ergo fidei miſereſce labantis.*
*Da Dominam caſtris Reginam in bella fidelem;*
*Sit quæ nos placida diſperſos contegat vmbra,*
*Sit quæ nutrix nobis, ſit tanta in clade leuatrix;*
*Sat generi, patribuſque datum, cœliſq; replēdis*
*Occubuiſſe Deum. Lachrymis tunc dulcibus, illā*
*Affatur Divus, iam ipſi ſenſibus hærens.*

ALME PATER.) Oratio B. IACOBI Noſtri ad Patrem Æternū, in qua vt omnium rerum Auctorem, eius in Hiſpanias Adventum proponit, quem etiam, licet illum non lateat, interpellat, & cauſas Chriſti Domini recenſens mortis, eiuſque agones ab exordio vitæ, vſque ad vltimum halitum proferens, vt meſem foueat inexptam efflagitat; Quin Matris Virginis interceſsionem expoſcens, illam denique mentis obſequio, & cordis intenſione conloquitur.

ALME PATER.) Tu qui regni in ſupremo cœlo collocas tui ſedem, hoc ſignificat *altum ſceptrum*, ex Boetio, & alijs *lib.* 4.

Hic Regum ſceptrum Dominus tenet,
Orbiſque habenas temperat.

PATIENS HIC AGNVS.) Hæc ferè mutuauit ex Arat. *lib.* 1. *in*

*deſ-*

*deſcriptione orationis S. Petri,c.15.* quando tria hominum millia ad fidem convertit,ſic:

——————— Vitam ne perderet Orbis
Maluit ipſe mori:ſed quod de Virgine fœta
Naſcitur,illud obijt. Ligno ſuſpenditur inſons;
Et ligni vacuatur onus:ſic vulnus,iniqui
Fit medicina,Dei.

QVEM TIBI SEMPER HABENS.) Simili modo S. Thomas vtitur,de Verbo Æterno agens *in Hymno Corporis Chriſti*.Quem amplectitur Eccleſia in *Laudib*.eius dici,ſic:

Verbum ſupernum prodiens,
*Nec Patris linquens dexteram,*
Ad opus ſuum exiens,
Venit ad vitæ veſperam.

ECCE TVI COLONI.) Id eſt Apoſtoli tui,quos ad evangelizandum per totum miſiſti orbem, illum perluſtrant , vt Coloni; ne ergo inter *Milvorum Canum,& Luporum* ferociam,illos, meſſemque derelinquas.*Milvus, Canis,& Lupus*,ideò à Poëta noſtro ſpecificè nominantur,quia myſticè in ſacris literis,hæc animalia Dęmonis ſignificationem præſeferunt.De *Milvo*,qui immundus reputatur,*Lev.cap.*11. *verſ.*14.*Deut.c.*12.plura interpretantur Scriptores ſacri , præcipuè, nam quemadmodum auis iſta eſt rapaciſsima(*vt ex Ariſt.ex Clement. Alex.*probat VVolfgang. Franzius *de ſacr.Animal.Hiſt.*2.*p.c.*12.) & præcipuè gallinarum pullis,quotieſcumque a materna alarum protectione aberrant,inſidiatur;ita Dæmon verè inter alias creaturas,ob eius ſuperbiam,& malitiam,iuvenibus,vt pullis,inſidiatur,ſi contingat,ab alis Dei eos ſeparari. Hunc *Milvum* pertimeſcens Regius Pſaltes,effugere cupiebat,dicens : *Sub vmbra alarum tuarum protege me.* Quam imprecationem *P.Ludovic.Crucius Olyſsippon.* vertit metricè ſic:

Alarum pennis timidum me abſconde tuarum
Dum detonat ira Tyranni.

Audi pulchra,*Auguſtini in Pſalm.*90.verba : Inter ſcapulas ſuas ob-

umbrabit tibi: *Id eſt, ante pectus ſuũ te ponet, vt alis ſuis te protegat: ſi me de agnoſcas infirmitatẽ tuam, vt quaſi pullus infirmus fugias ſub alis matris, ne à Milvo rapiaris. Milvi ſunt aëreæ poteſtates, diabolus, & Angeli eius, rapere volunt infirmitatem noſtram, fugiamus ſub alas matris ſapientiæ, quia & ipſa ſapientia infirmata eſt propter nos, quia Verbum, caro, factum eſt.*

De *Cane*, qui etiam animal impurum eſt, *Deut. cap.* 23. etiam Dæmoni comparatur, Pſalm. 21. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu Canis unicam meam.* Olyſsippon. *lib.* 1. *c.* 22.

Hinc me turba Canum rabidis aſſultibus vrget.

Item *Pſalm.* 58. de quo videndus Claud. Le Petit *de Dæmonib. c.* 10. *ſect.* 6 VVolfgang. Franz. 1. *p. c.* 21.

De *Lupo*, non eſt qui ambigat quantas cum Diabolo ſimilitudines ferat hoc animal immundum, horridum, & ferox: quam plurimas referunt Le Petit *d. c.* 10. *ſect.* 4. *fol.* 190. Franz. 1. *p. c.* 20. *fol.* 147. Sed notandum eſt, quanta horum rapacium animalium meminerit proprietate *Halus*, cùm quodlibet illorum teneris potius inſidietur prædis. At cùm nova meſsis IACOBI adhuc erat in cunabulis, meritò liberari ab his expoſtulat prædatoribus, tamquam recentibus gregibus, infeſtis.

TVA HAEC PROPAGO PERIBIT.) Dei auxilium requiritur, vt ad ſumma virtutum cacumina conſcendamus. Ideò dicit; Si tu, Domine, noſtros non auges profectus, tua hæc propago peribit. Nam ſine te, quid proderit humana profectio? De quo eleganter Dauid Pſal. 83. *Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem.*

AGNOS QVAE IN SOLA TEGENDOS SPES ERAT.) Spes (quæ verſabatur in protegendis Diſcipulis, & noviter converſis, te fovente) corruit, quia ſine auxilio tuo marcet. Ideò proſequitur: *Licèt adhuc vivit nunc, nõ ſi ſola manebit, vivet.* Quaſi dicat, Non ſine ſpe progredimur tui fauoris, ſed iſto deficiente, & ſpe ſola manente, ad quid ſpes? Timor adſit, ne perdatur quod ſpectatur. Spes ſit, ſed cum timore, ne fauor cæleſtis dilabatur. Pulchrè Auguſt. *serm.* 15. ad Fratr. in Erem. *O ſpes! tu omnia portare facis dulciter, & ſuauiter. Eia ergo fratres, hanc amate, hanc tenete, non tamen ſine timore, quia qui ſperat, & non timet, negligens eſt, qui autem timet, & nõ ſperat depreſſus eſt, & deſcendit in profundum quaſi lapis.*

DA DOMINAM.) Virginem MARIAM expoſtulat adiutricem,

qua,

qua, totam ſuam expleuiſſe miſsionem credit. Ideò iſtam puriſsimam invocat Dominam in huiuſmodi conflictu, aut quia ipſa fuit cauſa ſui Advētus, aut propter noſtram inſtructionem, vt toties quoties in angore poſiti, fatigemur, illius clementiſsimæ Matris opē imploremus. *Quia* (inquit Bernard. *serm.* 1. de Purif.) *diuinæ pietatis abyſſum, cui vult, & quando, ac quomodo vult, creditur aperire, vt quivis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum patrocinij ſuffragia præſtat.*

Sat generi.) Vt Parentis peccatum redimeretur, & ſedes cō plerentur cęlorum, quælibet Chriſti ſanguinis gutta ſufficiebat, licet eius in nos inextinctus Amor, ad vſque vltimæ emiſsionem prodigè perrexerit. Pium ad hoc P. Emanuelis Pimenta auſculta epiphonema.

Purpura deriſu, cruciant nova ſerta dolore:
Ambo grauant pęnas, plus fera ſerta, tuas.
Purpura vana tegit: melior ſuperinduit imis
Eruta de venis, per nova ſerta, tuis.
Quà rubus ingreditur, manat cruor vndique rivis;
Quà cruor it, duris eſt via facta rubis.
Tot ſaliunt fontes, quot acumina tempora rumpunt:
Vita, ſalus, pretium, lux, decor vnde fluit.
Heu! minus in venis ſacri reor eſſe cruoris,
Quam quod lęta ſinu terra beata bibit.
Prodigus es nimium; generoſo parce cruori,
Sanguine tingenda eſt crux, iuga, ſaxa, viæ.
Pôſt lateris vulnus, latebras rimatus, & vndas;
Exhauſtus, dices, Eſt cruor? vnda fluat.

Quod prior *S. Cyprian. de Pacient.* dixerat: *Conſidera Chriſtum amore voluiſſe id fieri, vt nihil de amore ſe remiſiſſe oſtenderet, imò ſi opus foret, paratum iterum pati, ac vt quidquid in corde reſederat ſanguinis effunderet, nihil ſibi reſervans, licet qualibet guttulæ particula ſufficeret.* S. Thom. Aquin. *Hymno de Euchariſt.* apud Belingh. in *Mont. Caluar. fol.* 476.

*Eia Parens Domini, quæ & Virgo, & Nupta ſuperni,*

*Quæ Regina chori, quæ lætis præſides arvis,*
*Quæ occiduas migrare ripas me compulis, eia*
*Diues opima, tuos ſequutus ordine nutus*
*Hiſpanias luſtro. Quorum pede Calpes ad alta*
*Locobrutini primus faſtigia colli*
*Flectitur; hoc amplo eſt præſa Hiſpania gyro.*

EIA PARENS DOMINI.) MARIAM Sanctiſsimam affatur, & vt eius benevolentiam captet, dulciſsimis exorditur epithetis. Primum ex Eccleſia: *Salue ſancta Parens*. Secundum, *Virgo, & Nupta* ex *Anaſtaſ. Bibliot. in collect. in Vit. S. Martini* Papæ: *Sanctiſsima, immaculata, benedicta, glorioſiſsima, & excellentiſsima omnium creaturarum, gratiæ pleniſsima, gaudium faciens, & tribuens Domina Noſtra, propriè natura, & Veritate ſola Dei Genitrix, Virgo, & Nupta MARIA.* Tertium, *Regina chori*, hoc eſt, *Angelorum Regina*, ex Eccleſia, ex *SS. Ephrem, Ildephonſo, Amed. Lauſ. hom. 8. Greg. VII. lib. 8. ep. 22.* Quartũ, *Præſidens campis*, Hoc epithetũ, ex mea ſententia, ijdẽ eſt, quod *Virgo Virginum*, quaſi dicat, *Princeps Virginum*. Anſam præbuit B. Bernard. *Hom. 2. de Advent. Dom.* vbi quæritans, quare Virgo *Campus floridus*, vocitetur, & non *hortus*, concludit: *Quia campus ſine omni humana cultura floret: non ſeminatur, non foditur ſarculo, non impinguatur fimo. Sic omnino, ſic Virginis alvus floruit, ſic inviolata, integra, caſta MARIÆ viſcera, tamquam paſqua æterni viroris florem protulerũt; cuius pulchritudo non videat corruptionem, cuius gloria in perpetuum non marceſcat.* Ergo ſi MARIA comparatur campo, vt intacto, virgini, & incorrupto, quia & ipſa intacta, virgo, & incorrupta eſt; idem erit dicere, cùm de Virgine loquimur, *Princeps Camporum*, ac dicere: *Princeps Virginum*. Vel alio modo *Lætis præſides arvis*, tamquam *Aurora conſurgẽs*, quæ teneras reficit herbas, & agrorum incompita leuat, vt inquit *Manil. lib.* 2. ſed melius de Virgine loquens Baptiſt. Mantuan. *lib.* 1. *Parthen.* ſic:

Dumque viam carpit pedibus calcata pudicis
Geſtijt in immenſum tellus, & dulcia longo
Tempore ſervavit præſo veſtigia dorſo.

Tota venuſtatem regio mirata,decuſque
Ætheriæ frontis,ſuſſumque per ora pudorem;
Arriſit,procul,omnis ager; nemus omne virentes
Exorto iam vere comas curvavit,& ibat
In flores tunc omne ſolum;fragrantia rura
Purpureas paſſim violas, & candida paſſim
Lilia fundebant,viridis è fontibus vndæ
Voluebant dulces,curſu crepitante,ſuſurros.

Qvae Occidvas.) Denique concludit, Tu quæ in Hiſpanias deſcendereme iuſsiſti,en quotquo,tper Hiſpaniam,vrbes perluſtraui. Tunc Geographicè Poëta Hiſpaniæ aliquot proſequitur terminos.

Qvarvm pede Calpes ad alta.) Incipit deſcriptionem Hiſpaniæ,ab vltimis Occeani oris,Plinianis tabulis innixus, in quibus,prolata complectuntur carmina,ſic *lib.3.c.1.* in medio. *Quorum primus à Calpe Hiſpaniæ extimo(vt dictum eſt)monte,Locros, & Brutiũ vſque promontorium immenſo ambitu flectitur.* Calpes, dicitur vna ex columnis Herculis,ad fretum Gaditanum,hoc eſt, *Eſtrecho de Gibraltar*,cui in Africa reſpondet *Abyla*,de quibus plura apud omnes.

Locobrvtini.) Coniunctio duarum vocum propter carmen; Nam duo fuere promontoria,alterum *Etecros*,&alterum *Brutium*,vt apud modernos Plinij correctores invenitur. Sed ni fallor à veritate diſcedunt, nam in antiquis MM.SS.codicibus,ex Stranæi Valentini M. S. ab hinc CL. annis ſcripto codice, in Bibliotheca Illuſtriſ. Domini mei Generalis Inquiſitoris,legitur *Locobrutium*, abſque coniunctiua,& hoc inſinuat Chliffetius in Not.ad Plin.*num.* 4. in margine.Quod etiam ex ipſo Plinij textu probatur, cùm non agat de duobus promontorijs,ſed de vno tantum,& ſic in ſingulari orationem finiuit numero.Quod hodie ſit,nõdum didici.Niſi hæc ſint illa duo promontoria à Strabone *lib.* 3.Geograph. in Gadibus conſignata, aliud dictum *Cronium*,aliud *Heracleum*, quod primum *Punta de S. Pedro*, ſecundum *de S. Sebaſtian* dicitur.

*Vlterior,quæ animoſa,ferax,mox ſine reſurgit*
*Virgintaniaco,iuga quæ protenditur vſque*

*Citerior Pyrnæa: duas aſt altera partes*
*Scinditur, horrentis latere, & coniuncta Trionis,*
*Eſt ſocia diſcreta ſua Luſtania riuo*
*Ana, Aminitanis, quæ poſtquam murmure, ſyluis*
*Exit ſtagna perdẽs, modo ſe in præcluſa reſorbẽs,*
*Hoſtia nunc latebris, abſcondens gutura, ſæpe*
*Naſcitur, atque vndis effluxit ſæpè redactis.*
*Magna Pyreneis, quæ fixa in rupibus ipſa*
*Tarraconenſis aquas trãsverſa expoſcit Ibero*
*Occeani ponto; ſocijs diſtincta duabus*
*Sollorijs campis, Ortano & monte, ſed inde*
*Altera dulciſonum, reſecant e flumine, nomen*
*Suſcipit, infracto ſuperans vicinia cultu.*

VLTERIOR.) Diuidit Hiſpaniæ ſitum in Vlteriorem, & Citeriorem. Ille vſque ad Vrgitanum ſinum; iſte ab illo ad Pyrinea iuga. Illum in duas ſubdiuidit partes; alia quæ, & Bætica; altera quæ & Luſitania, quarum terminos Ana fluvius diſcindit, qui in Laminitano agro prorumpens, per aliquod ſpacium decurrens, & poſtea ſe in terram occultãs, demum renaſcens, in Occeanum curſui finem imponit. Tarraconenſis, ſiue Citerior, altera ex Hiſpaniæ partibus, incipiens à Pyrenæis montibus, totamque illam plagam Orientalem complectens, Sollorijs mõtibus decurrẽs, Oretanos, Carpetanos, Aſtures, & alios comprehendens, ſitum recipit. Omnia breuiter Plin. *dict. cap.* 1. amplectitur, ſic: *In eo prima Hiſpania terrarum eſt, Vlterior appellata, eadem Bætica. Mox fine Vrgitano Citerior, eademque Tarraconenſis ad Pyrenæa iuga. Vlterior per longitudinẽ in provincias diuiditur. Siquidem Bæticæ latere Setemptrionali protenditur Luſitania, amne Ana diſcreta. Ortus hic Laminitano agro Citerioris Hiſpaniæ, & modò ſe in ſtagna fun*

*dens, modò in anguſtias reſorbens, aut in totũ cuniculis rōdens, & ſæpius naſci gaudens in Atlanticũ Occeanũ diffunditur. Tarraconenſis affixa Pyrenæo, totoque eius latere decurrens, & ſimul ad Gallicum Occeanũ, Iberico à mari tranſverſa, ſe pandens, Solorio monte, & Oretanis iugis, Carpetaniſque, & Aſturum à Batica, atque Luſitania diſtinguitur. Batica à flumine, eam medium ſecãte, cognominata, cunctas provinciarum diuite cultu, & quodam fertili, ac peculiari nitore, præcedit.* Hæc generaliter à Plinio, a quo *Halus* Noſter; nunc ad ſingula veniamus.

Vrgitanvs sinvs.) In huius nomenclatura variæ ſunt lectiones; Alij Vrgitanus, alij Vergitanus; Quidam Vrcitanus. Quidquid ſit, Olivarius *ad Pompon. Mel. lib. 2. c. 6.* Poza in *Vrbib. Hiſp. fol. 36.* & ferè omnes conveniunt, hodie dici *Almeria.*

Pyrnaea, pro Pyrenaea,) per *Metathesim*, aut *Sincopam*, Mõtes excelſi, qui Hiſpaniam a Gallia diſcindunt, & ramis disiecti, penè vniuerſam Hiſpaniam, adv ſque Occeani vndas prolapſi, ſpeculantur.

Lvstania:) Pro lvsitania, item etiam per *syncopam.* Vna ex duobus partibus Vlterioris, in qua( licet a Poëta Noſtro reticeantur) inſignes fuere Vrbes, ſcilicet *Vlyſippo*, hodie, *Lisboa* Conimbrica, *Coimbra.* Pax Iulia, *Beja.* Pax Auguſta, *Badajoz*, de cuius antiquitate ſcripſit *Rodericus Dosma.* Emerita Auguſta, *Merida*, de qua *Barnabas Moreno de Vargas*, & conciſe *D. Thomas Tamayo de Vargas.* Colonia Metelli, *Medellin.* Caſtra Cæcilia, *Caceres.* Caſtra Iulia, *Trugillo.* Ambracia, *Plaſencia*, de qua ego in vita S Epitatij. *Caſarobriga*, Oliua, Patria *B. Iuvenci* Poëtæ celebris, Cauria, *Coria*, de qua M. Ægid. Gonçalez Dauila. *Auguſtobriga*, Ciudad- Rodrigo; de qua idem M. Ægidius Gonçalez Regius Chronographus. *Caparra*, nomen retinet; & aliæ innumeræ, quarum catalogum, in aliud mittimus tempus. Hodie Luſitania, comprehendit *Toda Eſtremadura, y parte de Portugal.* De ea dixi *in Vit. S. Epitat. c. 2.*

Ana.) Celebris fluvius, qui vt diximus in agro Laminitano erũpens, & in eo, apud oppidum dictum *Argamaſilla* ſe condens, iterum in ipſo agro naſcitur, iuxta oppidum *Daymiel*, vt ex Medin. *Antiquit. Hiſp. lib. 2. c. 36.* Brito in *Corograph. Luſit. fol. 4.* Garibay *lib. 3. c. 4* probaui, *cap. 3. fol. 175.* contra *Ioannem Botero*, & P. F. *Iacobum Rabulloſa*, qui, haud agnitis amnis meatibus, in errorem prolapſi, *Anam* in Luſi

tania, iuxta Coloniam Metellinenſem abſcondere ſe non grauari, ne tàm incultas intueretur ſylvas, ſomniarunt. Ex quo liquet non in Luſitania, hodie *Eſtremadura*, ſed in Laminitano agro, hãc fluminis occultationem procedere.

AMINITANIS, pro LAMINITANIS.) per *aphæreſim*, vbi a principio dictionis litera, vel aliquid aufertur. Ager eſt, qui adhuc hodie dicitur *El Campo de Montiel*. Olim in Citeriori Prouinciæ circulo poſitus. Et inter populos *La Mancha* vocatos cognitus, cuius partem in Spiritualibus Toletanus Archiepiſcopus tenet, aliam Ordo Calatrauenſis, & S. Ioannis Hieroſolymitani, & alij. Terra ferax fructuum,

Nigra ferè, & preſſo pinguis ſub bomere terra,
Et cui putre ſolum (nam hoc imitantur arando)
Optima frumentis.

Quid vltra? De hoc agro cecinit erudite Ludovicus Tribaldus Toletus, Regius apud Indos Chronographus:

Vaſta mihi Heſperiæ patet, & pars optima terræ
Nec premor anguſto limite Laminij.
Arva Ceres, Bachuſque colunt, Pallaſque Palleſque:
Marchia at à Martis numine forte vocor.
Roboris eſt multum noſtris ad bella colonis,
Nobilis ad Muſas nec minus ingenij.

MAGNA PYRENAEIS.) Citeriorem Hiſpaniam, quam & Tarraconenſem diximus, deſcribit, licèt breui contextura *Halus*, ſequutus Plinium, qui vt ex ſuis clauſulis retulimus, totam prouinciam cultu adſignatione breuiauit. In hac ſunt innumeri Populi, quos poſtea ſingilatim recenſet.

SOLLORIIS CAMPIS.) Duplicata L. per *epentheſim*, quod eſt adiectio literæ, frequens apud Poëtas vſus. Hi campi fuere, quos, mõtes Solorij vltro citroque reſpexere, ad Septemtrionem Oretani, hodie *Campo de Calatraua*; ad meridiem Carpetani, hodie, *Reyno de Toledo*, *Alçarria*, *Real de Mançanares*, ſunt. Ipſiſsimi Montes, vt rami Pyrenæorum, hodie *La Cordillera de las Sierras de Guadarrama*, *Puerto del Pico*, *Vera*, *haſta Plaſencia*, vbi in planitiem deſcendentes, primæuæ arrogantiæ fumos ignorant.

*Quatuor hæcque tenet Conventus, Gadibus vnus;*
*Aſt alius, toti ſundauit nomina genti,*
*Quo titulum magni præſcriptum marmore Regis*
*Cæſar habet, nunc Hiſpalis; at dat Corduba nomẽ*
*Clarũ alio, & reliquis nõ ſubditur ille, ſequenſq;*
*Aſtigitanus adeſt numero, qui quartus, habẽtq;*
*Oppida multa ſimul, nã quo Romæ inclyta magnæ*
*Curia per medium partitur ſolibus annum,*
*Vlterior claris tot cinctu Hiſpania muris,*
*Mœnia totquè tenet, lõge, & celeberrima; portus*
*Inſuper, & pulchros, & medijs claſibus aptos:*

Qvatvor haec tenet Conventvs.) De Vlteriore Hiſpania, quà Bætica eſt, loquitur, quæ in quatuor diuiſa Conventus, iura populis ſuæ impertiebatur ditionis. Quatuor etiam ponit Plin. *d. lib. 3. c. 1.* ſic: *Iuridici Conventus ei quatuor, Gaditanus, Cordubenſis, Aſtigitanus, Hiſpalenſis.* In Luſitania tres. *Emeritenſis*, Merida. *Pacenſis*, Badajoz. *Scalabitanus*, Santaren. Sed nunc, quid in hoc *Conventus* nomine comprehendatur, ſciendum eſt, vt prærrogatiuam huiuſmodi cognoſcamus vrbium. Hæc vox ergo triplicitur ſumitur. I. cùm ſignificatur multitudo, ex pluribus hominum generibus, contracta in vnum locum, *Cicer. in Verr. 3.* ſic: *Cur prudentiſsimas, lectiſsimaſque fœminas in tantum virorum conventum, inſolitas, invitaſquè prodire cogis?* II. cùm à Magiſtratibus iudicij cauſa populus congregatur: vt hic, & *Suet. lib. 1. c. 7.* ſic: *Quæſtori Vlterior Hiſpania obvenit, vbi cum mandato P. R. iuridicundo Conventus circueret, Gadeiſque veniſſet.* III. cum frequentia hominum in aliquem locum colligitur, ſupplicationis, aut gratulationis gratia, *Cicer. lib. 7. ad Atticum epiſt* 48 *Conventus Vticæ pro ſupplicatione ex varijs gentibus factus.* Alij erant Conventus familiares, de quibus nihil ad rem. Nec me latent verba Theophili, in



Digitized by Google

*lib.1.inſt.§.Eadem lex*; quibus probare nititur, Conventum, non locum, ſed tempus ſignificare; quia vt notum eſt, tempus in locum trãſlatum eſt, vt in verbo *paleſtra*, quæ licet actum luctæ ſignificet, iam in ipſum arenę ſtadium diſtractum eſt. Idem in *Naumachia, Conſilio, Audientia*, & his ſimilibus. Hodie idem eſt *Conventus Iuridicus*, ac apud Nos, *Chancilleria*, vbi Populi ſuæ iurisdictionis, lites per appellationem, aut in cauſis Curiæ, deferunt.

GADIBVS VNVS.) Hic numeratur primus Conventus ab omnibus, quem hodie *Cadiz* vocitamus. Diuerſa, hæc civitas, nomina accepit. Antiquitus *Cotinuſſa*, poſt *Tarteſſus*: ſic Ruff. Feſt. Auien. Noſter de Sit. Orb. verſ. *611*.

> Gadir prima fretum ſolida ſupereminet arce,
> Attollitquè caput geminis inſerta Columnis.
> Hæc *Cotinuſſa* prius fuerat ſub nomine priſco,
> *Tarteſſumque* dehinc Tyrij dixere Coloni.

De eiuſdem vrbis antiquitate ſcripſit *Ioann. Bapt. Suarez de Salazar*, breui compendio, plurima eruditionem redolentia. M. Ægid. Gonç. in ſuis Eccleſiarum Teat.

HISPALIS.) Secundus Iuridicus Conventus. Hæc vrbs etiam varia nomina cognouit, *Spalis, Hiſpalis. Iulia Romula*, & hodie *Sevilla*. De cuius antiquitate ſcripſerunt Morgado, Paulus de Eſpinoſa, P. Antonius Quintanadueñas, Rodericus Caro, & M. Ægid. Gonç. in quibus ad ſaturitatem. Inquit, *toti fundauit nomina genti*, opinionẽ ſequutus S. Iſidori Noſtri in Prolog. Chron. ad Siſnand. Reg. his verbis: *De Tubal verò Hiſpani, & Itali orti cenſentur. Primus Rex Hiſpanorum extitit nomine Hiſpanus, qui famoſam vrbem condidit, quam ex ſuo nomine Hiſpalim nominauit, & in ea ſolium ſibi firmauit, à qua etiam Hiſpania nomen traxit.* In ſubſequenti carmine, quo dicitur: *Quo titulum magni præſcriptum marmore Regis, Cæſar habet.* Senſus eſt; Nam cum Iulius Cæſar Hiſpalim reædificaſſet, Herculis nomen in marmore ſcriptum conſeruans, aut reſtituit, aut impoſuit.

AT DAT CORDVBA NOMEN ALIO.) Tertius Conventus *Corduba*, hodie *Cordoua*, Vrbs Patritia, de qua ſcripſere Ambroſius de Morales, Ribas, P. Martinus de Roa, & Ægid. Gonç. Inquit, *& reliquis non ſubditur ille*. An quia Patritia? An quia Princeps Bæticæ?

haud ſcio. Legat Lector P. Roa in Principatu Cordubenſi.

Astigitanvs.) Quartus Bæticæ Iuridicus Conventus *Aſtigis*, hodie *Ecija* : Vrbs pervetuſta; de qua ſcripſit P. Martinus de Roa, & Andreas Florindus Medicus. De qua Ludonic. Tribald. Tolet. *in Epæneſ. Iberic. fol.* 53.

Paſcendo pecori aſsiduè vacat Aſtyga ovillo.

Conditam dicit Franc. Tarrafa ab *Aſtyre* Memnonis auriga, qui amiſſo ad Troiam hero, in Hiſpaniam venit, vbi & *Aſturibus* nomen dedit, de quo Sil. Italic. *lib.* 3. ſic:

Venit, & Auroræ lachrymis perfuſſus in Orbem
Diuerſum, patrias fugit cum devius oras,
Armiger Eoi non felix Memnonis Aſtyr.

Quem locum etiam pro hac ſententia reaſſumit Ludov. Non. *Hiſp. c.* 18.

Nam qvot Romae.) Vt huius carminis ſenſum percipias, ſcito, quod olim apud Romanos ex CCCL. diebus Annus conſtabat, ex Numæ Regis inſtitutione, quatuor diebus additis, vt inquit Macrob. *lib. 1. Saturnal. c.* 13. Si ergo ex hoc Numæ anno mediam detrahas partem, remanebunt CLXXV. tot ergo populos, nomine inſignes, habuit olim Bætica, vt ex ipſo Plinio, liquet, ſic. *Oppida omnia numero CLXXV.* quo facilius carmen Poëtę percipies.

*Hic Onnobla ſedet, dicta hæc Luſtaria quōdam;*
*Littus ad Occeani, Mellaria, Beſipho, Bellon,*
*Mallaca, & internum retinens Berbeſula portū:*
*Et pariter Sexto Iullum, quod Menoba, Firmo*
*Sexi, Abdera, marique obverſa Albana rigēti:*
*Inter, & Occeanumque Segeda eſt; inter & illum*
*Parvula Tigenſi, qui ducens flumina ſaltu*
*Innumeris ſe tollit aquis, & nomina ſecum*

*Abſtulit. Hic populo dextra, lauaqua potenti*
*Cingitur, hunc largo Iullana Fidentia muro*
*Proſpicit, Alba ſimul, necnon Cerealis Ebura;*
*Atque Libertani memoranda cacumina montis:*
*Ebdunum, Agla minor, ſticciſq; Illurco cateruis:*
*Oſca vetus, pariterq; manent, ac Batica circum*
*Iura ſedentque foro nõ parua eſt fama Liturgo;*

HIC ONNOBLA SEDET.) Poſt Conventuum Bæticæ diuiſionem, ad ſingulas eorum vrbes deſcendit, Plinij interpolatim veſtigia ſequendo, ſic: *Ex his digna memoratu, aut latiali ſermone dictu facilia, à flumine Ana, littore Occeani Oppidum* Oſſonobę *Luſtaria cognominatum*. Hodie *Stombar*, apud Duard. Non. & Reſſend. Sed ſi verum amamus, hic non agit Halus de Oſſonobu, ſed de Onoba, quam Strabo è regione Gadium aſsignat, ſic *lib. 3. Extra fretum progreſſos ad M. D. ſtadia ad Inſulam veniſſe Herculi ſacram, è regione Onobæ Hiſpaniæ vrbis ſitã*. Quam hodie *Gibraleon*, affirmat Caro *d. lib. 3. c. 25. fol. 129.*

MELLARIA) Quam Ptolom. *Menraliam* vocat, & iſtam hodie *Ronda* ſuſpicatur Didac. de Meſſa *in Not. ad Medin. de Antiq. Hiſp. lib. 2 c. 39* Sed fallitur, nam hodie *Vejer de la Miel* eſt Caro *in Chronograph. Hiſp. lib. 3. c* 58 *fol. 182.*

BESIPHO] repone *Beſippo*, ex *Plin. d. c. 1.* & alijs, hodie *Chiclana* ex *Roder. Car.* vbi ſupra.

BELLON) apud Plin. & Noſtros, *Bello*. Aliqui credunt hodie *Brabate*: Olivar. ad P. Mel. ſuſpicatur *Tariſa* : Andr. de Poza contendit *Trafalgar*.

MALLACA.) Duplici L, propter carmẽ, per *epentheſim*. Hodie *Malaga*, Ciuitas inſignis, de cuius antiquitate ſcripſit P. Martinus de Roa, & Ægid. Gonç. in ſuis Theatr. Eccleſ.

BERBESVLA.) Quam hodie abſque contradictione *Marbella* vocitant, omnes harum antiquitatum Scriptores.

SEXTVM IVLIVM.) Quod, & *Menoba* dicebatur, ex Plin. qui duas huius nominis in Bætica conſignat vrbes. Alia poſt *Malacam*, ſic: *Deinde*

*de Menoba, cum fluvio.* Alia in Conventu Hiſpalenſi, ſic: *Arruci*, Menoba, *Ilipa*, ſed nulla cum titulo *Sexti Iulij*, quæ potius *Sexi Firmi* convenit, cum dicat Plin. *Sexi Firmum cognomine Iulium*. Prima eſt de qua hic loquitur *Halus*, quam *Velez-Malaga* interpretatur Poza, & alij apud Ortel.

Sexi Firmum) quod & *Iulium*. Eius nomen variè ſcribitur. Pōpon. Mel. *H. xi.* Alij *sex.* Apud Dextr. vt in Plin. Hodie ex Ambroſ. Mor. Roder. Car. ad Dextr. *fol. 22. lit. O.* dicitur *Motril*, quamuis Pinetus. & Cocus credant eſſe *Velez-Malaga*.

Abdera.) Diuerſimodè ſituatur hodie, alij credunt *Almeria*: ex Tribaldo Tolet. *Epaneſ. fol. 33.*

Grata dedit Liguri gemmantem *Abdera* catinum.

Alij dicunt *Vera*: Alij *Adra*: Dominico Nigro *Vbeda* eſt, tu elige, tripulata Nigri hallucinatione.

Albana.) Fortè *Albina*, ſeu *Albicina*, à qua Populi Turdetanorum ad Montem Caſsium, quorum mentio eſt apud Andreā de Poza, *fol. 2. col. 2. in Nomenclat. Vrb. Hiſpan.*

Inter et Occeanum Segeda.) Hic incipit per oppida mediterranea, excluſis cæteris litoralibus, & *Segedam* primam nominat, ceu Plinius, ſic: *Celeberrima inter hunc, & Occeani oram in Mediterraneo Segeda, quæ Augurina cognominatur.* Hanc non procul à *Baza* collocat Roder. Caro *d. lib. 3. c. 69. fol. 195.*

Parvula Tigensi.) Fortè *Tigenſis* fluvius; *qui ducens parvula flumina en ſaltu* Tigenſi *innumeris ſe tollit aquis, & nomina ſecum abſtulit.* Ille fluvius (inquam) de quo Iulian. Noſter *Adverſ. 340.* ſic: *Meo tempore deſtructa fuerat Caſtulo, finis Baticæ, circa quam fluvius* Tagus *Parnaſus fuit, vulgo dictus* Guadalamar: *Qui circa Batim fluvium, & Anam minorem naſci perhibetur.* Quod ferè repetit *Adverſ. 341.* Et licet hic *Tagus* inveniatur ſcriptum, reponendum eſt *Tigus*, quo antiquū nomen retinebit. De quo videndus Amicus, & eruditus M. Frāc. Rus Puerta *Hiſt. Giennenſ. tom. 1. Secul. 1. c. 15. à num. 1.* P. Franc. Bivar *ad Dextr. Ann. 66. Com. 1. n. 7.* qui plura circa huius Tigenſis fluminis ſitum, ad veritatis notitiam adducunt. Sed melior omnibus R. P. Franciſcus Bilches è S. I. in aliquot M. S. qui abſque controuerſia probat, hunc fluvium hodie Guadalimar, fuiſſe verè, & vnicè Bætim, de quo apud Geographos, & inſinuat Halus, dicens: *Innumeris ſe tollit aquis, & nomina ſecum abſtulit.*

IVLIA FIDENTIA.) Eius memoria eſt apud *Plin. d. lib. 3. c. 1.* Titulo Coloniæ apud Goltz. *in Theſaur. Antiq. fol.* 150. ex nummiſmate Tiberij, invenitur; licèt *P. Puente* inter ſuas non agnoſcat Colonias, *lib. 3. cap. 9.* Quæ hodie vrbs ſit, latet.

ALBA) quæ & *Vrgao*, ex Plin. *Vrgabo*, ex antiquis inſcriptionibus, de quibus Rus Puert. *Secul. 4. c. 6. n. 1. fol.* 128. Hodie *Arjona*, celebris propter Sanctorum Martyrum reperta cadauera, de quibus ſcripſere R. P. F. Emanuel Tamayo in ſuo Apologet. & Doct. Bern. Aldret.

EBVRA) quæ & *Cerealis*. De qua Plin. Attamen Roder. Car. *lib. 3. c. 1. Corograph. fol.* 89. eam collocat iuſta oſtium fluvij *Guadiamar*, quo loco adhuc cors hoc nomine permanet. Illam prope *Tarifa*, cõſignat Poza. Sed vterque à ſitu deviant, nam hæc iuxta *Vrgabonem* conſignatur a Plinio. In quo etiam non eſt audiendus Iulian. Adverſ. 181. qui *Eporam* vocitat, vt notat Caro *c. 22 fol.* 120.

LIBERTANI) pro *Illiberitani*. Et nota quòd non vrbem, ſed mõtem conſignat, & illum *memorandum* indigetat. Quod dignum eſt obſervatione, fortè propter venerandum Sanctorum tot Martyrum theſaurum, quorum lipſana in illius ſpelæis abſcondita, tot ſæcula permãſere, & bono Eccleſiæ Hiſpanicæ omine, noſtra adhuc ætate patefacta, venerantur. De Vrbe diximus ſupra, verſ. 58.

EBDVNVM.) Credo reponendum *Arialdunum*, propter contiguitatem Aglæ minoris, vrbis ſubſequentis. Quæ nunc ſit, ignoro penitus.

AGLA MINOR.) Sic ex Plin. licèt, cui oppido hodie reſpondat, haud ſciam, niſi ſit *Abla* non procul a *Guadix*, vbi martyrium pertulere *SS. Appollus, Iſacius, & Crotaton*, vt probat Marchio Aſtapenſis in memoriali ad Epiſcopum Accitanum. Quæ vrbs in Itinerario Antonini dicitur *Alba*, quam credidit *Arjona* Zurita, in Notis ad illud, *fol.* 553. ſed perperam.

STICCISQVE ILLVRCO CATERVIS.) Quæ ſint *ſticca caterva*, nondum didici. Crederem reponendum *Succubijque Illurco catervis*, ab vrbe *Succubo* proxima, quam ponit Plin. *Illurco*, hodie *Alora*: Cateruæ Succubæ. *Serranos de Ronda*, ex Ortel.

OSCA VETVS.) In diſcrimen alterius Celtiberiæ, hodie *Huerſcar*, vt omnibus, ſine controuerſia, placet.

LITVRGO CIRCA LACONAS.) Incipit narrare oppida Convẽ-

tus

tus Cordubenſis, & ponit *Liturgum*, pro *Illiturgum*, quod *Forum Iulium*, & quia hęc vrbs iuxta flumen *Oſsigi*, quod cognominabatur *Laconium*, ideô dixit, *iuxta Laconicas vndas*. Illud oppidum hodie *Andujar*.

*Circa Laconas quod Corduba ſuſtulit vndas,*
*Conventu memoranda ſuo: nomenq́; triumphis*
*Ipaſturgus adeſt; vallata Ripepora priſcis*
*Fœderibus; Sitiæ gentes; nonque inde remota eſt*
*Corduba, quæ magni Conventus mater, & altas*
*Hiſpalenſis ei vario cognomine turbas*
*Iūgit; & ampla ſatis plebs iſto in Celtica clauſtro.*

Ipastvrgvs) quod *Triomphale*. Ideò, a triumphis nomen, aſſerit Poëta: Quod verò nunc ſit oppidum ignoratur.

Ripepora vallata priscis foederibvs.) Nam vna erat vrbs, quæ fœderata dicebatur. Huiuſmodi titulus proveniebat, quia cùm eſſent Ciuitates liberę, fœdera cum P. R. ſeruabant, vt aſſerit Ant. Auguſtin. *Dialog. 6. Ripepora* eſt apud Plin. ſed vt notant Morales, Poza, & Roder Car. *lib. 3. c. 2. Epora* legendum erit, vt ex pervetuſto lapide, & Antonini Itinerario, liquet. Hodie omnibus *Montoro*.

Sitiae gentes.) Populi in ipſo Conventu Cordubenſi, quibus noſtro conveniant æuo, nec ipſi accolæ norunt.

Et ampla satis plebs.) Vere ampla oppidorum multitudo, quam Plin. *d. c. 1.* ſic *Obulco, quod Pontificenſe* (Porcuna) *Martialium Onoba* (ſine nomine) *& dextra Corduba Colonia Patritia cognominata: inde primum nauigabili Bæti, oppida Carbulo* (Carpio. Nigro, & Poza) *Decuma, Syngilis fluvius, eodē Bætis latere incidens*. Poſt, & Plinius, & Halus ad Conventus Hiſpalenſis vrbes deſcendentes, inſigniores enumerant, ſic:

*Ilipa cum geminis oſtenditur acria turbis:*

*Hiſpalis ipſa latus ſociorum amplexa ſiniſtrum*
*Conſpicienda datur, quam Bætis circiter actis*
*Curſibus, ingrato braua haud dat robara Ponto.*
*Oſſet ab adverſa conſpicitur arce, ſimulque*
*Virgentum Genitoris habet, quod nomen Iuli.*
*Hic Caura, & Sauros ſuſtentat Otyppo colonos.*
*Hic Nebriſa manet, Bætiſque eſt inter & æſtus*
*Venaria, & Colobona ſimul, què hic Regia ſigno*
*Aſta alio, verè haſta ſuos quæ territat hoſtes.*
*Hicque ſolo medias deguſtans Aſido lymphas*
*Syngilis, in latumque irrumpens ordine Bætim,*
*Aſtigitaneam refluit cognomine Firmam*
*Auguſtã, & multas peregrina ad littora proras*
*Inde leuat.*

ILIPA) cognomine *Italica*. Quæ hodie *Peñaflor* dicitur; diuerſa ab *Ilipa Bæturia*, de qua infra dicemus. De illa plura Rod. Car. *lib.* 3. *c.* 11. *fol.* 97. Ego in *Hiſtor. Ilipenſ. c.* 4. *lib.* 1.

OSSET) quæ & *Iulia Conſtantia*. Celebris propter miraculoſum baptiſterium, de quo eſt mentio apud S. Gregor. Turonenſ. *de Glor. Martyr. c.* 24. Sigebert. *in Chron. Ann.* 573. S. Mar. Max. *in Chron. Ann.* 550. Moral. *lib.* 11. *c.* 54. Baron. *tom.* 7. *Ann.* 548. & 573. & penè omnes Hiſpani Scriptores. Sed an hoc miraculum in *Oſſet Bætica*, an in *Oſſet Luſitaniæ*, diſceptatio eſt inter vtriuſque Prouinciæ antiquarios. Pro iſta ſtant omnes melioris notæ Auctores, pro illa ſcripſit *P. D. F. Ioſeph à ſancta Maria* Carthuſianus libellum. Roder. Car. *lib.* 3. *c.* 19. *fol.* 113. non audet ab antiqua opinione diſcedere, etiam ſi Hiſpalenſis Conventus monumenta recenſeat. Hodie creditur *Caſtilleja de la Cueſta*, aut *S. Iuan de Alfarache.*

VIR-

VIRGENTVM GENITORIS HABET QVOD NOMEN IVLI.) Sequitur Plinianos codices, etiam ſuo æuo deprauatos, vbi, ſic: *Vergentum, quod Iulij Genitor.* Sed vt eruditè notauit Roder. Car. *lib. 3. c. 19 & 20.* legendum eſt, ſic: *Vergentum quod Iulij Genius, Orippo*, quód excriptoris incuria, primæ ſequentis oppidi literæ, coniunctæ videntur dictioni *Genius*, qui, *Genitor*, ſcripſere; & ſequentem vrbem in ſola *Ippo* appellatione relinquere. Huius veritatis coniecturam auxit Antonini Itinerarium, vbi expreſsè *Orippo* conſignatur, in illius manſionis tabulis, & non *Hippo*. Vbi Zurita *fol. 561.* numiſma refert, hoc nomine, aliudqne Caro depingit. Qui hodie *Vergentum* credit *Gelves*, aut *Gines*, dici.

HIC CAVRA, ET SAVROS SVSTENTAT ORIPPO COLONOS.) Hoc carmen tres in Plinianis codicibus errores manifeſtat. Sic moderni codices: *Vergentum quod Iulij Genitor, Hippo Caurasariũ, fluvius Menoba.* Sed legendum eſt: *Vergentum quod Iulij Genius, Orippo, Caura, Siarum, fluvius Menoba.* Hoc patet ex carmine, in cuius contextura, quatuor ſunt diverſa oppida, ſcilicet *Vrgentum, Orippo, Caura, & Siarum.* Quæ adhuc permanent. De *Vergento* iam diximus, nunc de ſingulis agemus.

CAVRA.) Oppidum eſt circa Hiſpalim VIII. P. M. in defluxo fluminis alueo, quod hodie *Coria* dicitur, ad ſimilitudinem alterius, huius nominis in Luſitania, de quo videndus Roder. Caro *lib. 3. cap. 20.*

SIARVM) Licet propter carmen *saurum* ſcribatur. Hodie cors eſt nomine *sarracatin*, in cuius ruderibus aliquot inveniuntur inſcriptiones Romanæ, in quibus frequens.

SPLENDIDIDISSIMO ORDINE
SIARENSIVM
PECVN. SVA POSVIT.

De quo videndus Rod. Caro *d. c. 20.* vbi duo diuerſi generis nummiſmata refert.

ORIPPO,) Ex quo etiam comprobatur opinio Rod. Cari, quam ſupra expoſuimus, quod nod *Hippo*, ſed *Orippo* apud Plinium legendũ eſt. Hodie hoc oppidum dicitur *Dos Hermanas*, propter inſigne mira-

culum, quod duobus honeſtis, & devotis ſororibus euenit, in inventione venerabilis effigiei S. Anæ, Sanctiſsimæ Crucis, & cuiuſdam tintinabuli, quæ omnia ex Hiſpaniæ excidio delituerant.

NEBRISSA) quæ & *Veneria*. Hæc *inter æſtuaria Batis*. Hodie *Lebrija*, ex qua originem duxit *Ælius Antonius Nebriſſenſis*, Bæticus, & Meus; Bæticus, propter natiuitatem; Meus, propter incolatum; Nã tempore *D. Ioannis de Zuñiga* Ordinis Alcantarenſis Sacri Magiſtri, poſt Cardinalis, & Archiepiſcopi Hiſpalenſis, meam *Ilipenſem* patriã, non paucis temporibus incoluit, vbi adhuc illius ædes, & nomen, & titulum demonſtrant. De hac vrbe plura R. Car, *lib. 3. c. 21.*

COLOBONA.) Zurita *Caſtellum Chellar*. Pomp. Mel. eſſe *Colobonam*. Pintianus *Caſtellum Ebura*, nominat; quidquid ſit, hodie *Trebugena* cognominatur. De quo Rod. Car. *c. 22.*

ASTA) quæ & *Regia*. Quare, & Regia? Aliqui ſuſpicantur, hoc conſeruaſſe nomen, ex eo quod in ea ſui ſedem regni Argantonius Tarteſsiorum in Hiſpania Rex habuit. Hodie dicitur *Xerez de la Frontera*; de qua ſcripſere P. Mart. de Roa libellum, & Rod. Caro. *dict. lib. 3. cap. 23.*

VERE HASTA SVOS QVAE TERRITAT HOSTES.) Fortè propter C. Attinij cædem, in prælio, de quo apud Liv. *lib. 39.* his verbis: *Ad oppidum deinde* Aſtam *Legiones ducit, id quod haud multo maiore certamine cepit, quam caſtra; ſed dum incautius ſubit muros, ictus vulnere, poſt paucos dies moritur.* Inter Colonias Bæticæ *Aſtam* connumerat P. Puente auctoritate Hircij, & Morales. Et ita eſt. At quia in Codice Plinij adeſt error, liceat ratione corrigere. Verba Plinij *lib. 3. c. 1.* hæc ſunt, cum ſuis punctuationibus vulgariter: *At inter æſtuaria Batis oppidum Nebriſſa, cognomine Veneria, & Colobona, colonia. Aſta quæ Regia dicitur.* Vnde ſecundum punctuationem, ſenſus erit, quod inter æſtuaria fluminis tria erant oppida Nebriſa, & Colobona, quæ Coloniæ titulo fruebantur, & etiam erat Aſta. Ex quo liquet, quod Aſta nõ erat Colonia, & Colobona, Nebriſſaque illo honore gaudebãt. Quod abſque dubio expungendum eſt, nam iſta duo oppida inter Colonias, haud adnumerari in antiquis authoribus invenies. Quia & ſi Puente vndecimo tertio illã collocet loco, hoc in margine revocauit. De Colobona planum eſt; ideò ſic in Plinio reponerem: *At inter æſtuaria Batis oppidum Nebriſſa, cognomine Veneria, & Colobona; Colonia Aſta quæ Regia dicitur.* Pro hac opinione adſtat S. Mar. Max. in Chron. Ann.

612.

Digitized by Google

612. ſic: *Celebratur memoria S. Secundi Aſtenſis, in Italia, & in vrbe Aſta Hiſpaniæ paſsi, Colonia Romanorum, & ſub Apoſtolicis temporibus ſedes Epiſcopalis.*

Assido) quæ *Cæſariana*. Hanc aliqui Codices *fecere* Coloniam, ſolo prætextu ſcripturæ Plinij, quia vbi erat punctum in vulgatis ædi tionibus Plinianis, expungebant, & ponentes illum poſt Colobonam, legunt: *Colonia Aſta quæ Regia dicitur, & in mediterraneo Aſsido, quæ & Cæſariana*. Si ita ſit, decem in Plinio Colonias inveniemus in Bætica, quod abſurdum eſt, ex eo quod Plinius Octo tantum fatetur, ſcilicet Gades, Corduba, Hiſpalis, Aſtigi, Munda, Vrſao, Tucci, & Aſta: ergo *Aſsido* haud numerari inter Colonias valet. Quod indubitabile eſt, eam hodie *Medina-Sidonia*, dici. ex R. Car. *c*. 24.

Syngilis.) Hic de fluvio agit, de cuius limphis deguſtat *Aſſido*; in codicibus Plinij *Singulis* legitur, & corruptè. Hodie *Xenil* Cluſ. & Moral. *Guadagenil*, quod idē eſt, Nauagiero. Huius etiā nominis, vrbs fuit, quæ hodie *Antequera*, dicitur, de qua Anonymi hiſtoriā latinam, beneficio D. Ioſeph. Pellicer de Tovar, apud me.

Avgvsta Firma, quæ & *Aſtygis*. Conventus iuridicus, de quo ſupra meminimus, hodie *Ecija*.

*——Gremio poſitæ clauduntur in iſto,*
*Coniunctæq; manent, duplices, quæ Cæſaris vrbes*
*Virtutem, Lumenq; notant: Sucrana, Meruca,*
*Vrſo ſimul, Mundæq; arces, Aguſta Gemella;*
*Vos quibus, & Dominos licitū ignorare, videbas*
*Dum res Roma tuas, Aſtygiæ clara, vetuſq;*
*Oſtippo, & geminis Oningis Bucula caſtris.*
*Hoc aliæ præſunt vrbes, hoc Tingus, & Alos.*
*Hoc & Aloſtigi protendunt mænia colli.*
*Hinc, & Amintananas regio quæ tendit ad vndas*

Fe-

Digitized by Google

## *Felix in duplicem ſciſa eſt Beturia partem.*

Gremio positae clavduntur in isto.) Incipit deſcribere oppida Conventus Aſtigitani, vt & Plinij veſtigia ſectetur, ſic: *Huius Conventus ſunt reliquæ Coloniæ immunes, Tucci quæ cognominatur Auguſta Gemella, Itucci, quæ Virtus Iulia Attubi, quæ Claritas Iulia, Vrſo, quæ Genua Vrbanorum, inter quæ fuit Munda cum Pompei filio capta. Oppida libera, Aſtigi vetus, Oſtippo: ſtipendiaria Callet, Meruca, Sucrana, Obulcula, Oningis.* Alia recenſet Plinius, quæ Halus prætermiſsit.

Dvplices qvae Caesaris vrbes, Virtvtem, Lvmenqve notant.) Agit de *Itucci*, quæ *Virtus Iulia*, *& de Atubi*, *quæ claritas Iulia*, appellantur. Vtraque inter Colonias immunes conſignatur, de quibus agũt Moral. & Pueut. *lib* 3. *c*. 9. De *Itucci* nulla apud Noſtros memoria eſt. De *Attubi* ſigillatim ſcribit Moral. *lib*. 8. *c*. 41. *&* 43. hodieque *Eſpejo* cognominari.

Svcrana, Mervca.) Vrbes ſtipendiariæ, ideò dictæ, quia *ſtipẽdium, ac tributum quotannis Populo Romano penderent.* Sic Anton. Auguſt. Dialog. *6*. & alij plerique. Harum vrbium memoria ſitus euanuit.

Vrso) quæ *Genua Vrbanorum*. In nomine proprio adeſt error in Auli Hirci, ſeu C. Oppij codicibus, in quibus *Vrſao*. *Vrſaonenſes*, *Saonenſes*, & *Verſabelenſes*, invenies. In cognomine, etiam in Pliniano textu eſt mendum, cum ſcribi debuit *Gemina Vrbanorum*. vt notauit Anton. Auguſt. Dial. 8. Hodie *Oſſuna* dicitur, de qua Roder. Car. *lib*. 3. à *c*. 52. *& ſeq*.

Mvndaeqve arces.] Munda vrbs, celebris propter congreſſum Cæſarianorum, & Pompeianorum, quorum *nomina licitum* (inquit *Halus* in ſequenti carmine) *ignorare videbat Roma*, quia ex bello civili Romanæ res periere; quando ſola virtus in bello, & prudentia in pace illas extulerant, quemadmodum *Sulpitia* Poëtria in Satyra ad Domitianum, cecinit:

> Duo ſunt quibus extulit ingens
> Roma caput, *virtus bello*, & *ſapientia pacis*.

Hodie *Munda* abſque populo, iacet, celebri, licet conſervetur plebs ruſtica quæ dicitur, *Monda en la Hoya de Malaga*. De qua Rod. Car. *fol*. 180.



Digitized by Google

Avgvsta Gemella.) Cuius nomen proprium *Tucci*, apud Plinium. Duo in Bætica oppida. Aliud inter Hiſpalim, & Ilipam, quod *Vetus*, dicebatur, ex Plin. Antonino, & Dextro, probat Roder. Car. *lib. 3. c. 10.* Hodie *Tocina*. Aliud in Turdulis, quod *Auguſta Gemella* inſcribitur apud Plinium. Hodie *Martos*. De quo Rod. Caro, *d. c. 10.* & M. Rus Puerta in Antiq. Giennenſ. Sæcul. 1. *c.* 2. *n.* 9. & Sæcul. 4. *c.* 1. *n* 4 Qui *c.* 9. *d.* Sæcul. 4. *n.* 2 à conſignatione Roder. Caro, quoad *Tucci Vetus*, diſſentit. Ille pro *Tocina* contendit. Iſte credit cum Molina *lib. 1. c. 15.* eſſe viculum iuxta Tuccim Coloniam, quam S. Eulogius vocitat *Oſariam*, vbi delituit S Flora Virgo, & Martyr Cordubenſis. Iulian. Noſter *Advers. 169.* illam vrbē vocat *Alcalá la Real*, ſi iſta gloſemmatis appoſitio Iuliani eſt. En eius verba: *Tucci Vetus diſtans Accitana Civitate XXVIII. M. nunc Alcalà la Real.* Quid tenendum, docti videant.

Astigia clara.) Aliam diuerſam ab *Ecija*, quæ titulo *veteris* nominat Plinius. Halus Noſter, ideò *claram* appellitat, quia immunis, & libera ciuitas erat. Promiſcuæ enim ſunt voces, *clarus*, ac *nobilis*; apud Plautum in Trin. ſic: *in occulto iacebis, quùm te maximè clarum voles*, apud Cicer. ad Sulpit. ſic: *Quæ quamquam ex multis, pro tua claritate audiam, tamen libentiſsimè ex tuis literis cognoſcam.* Ideò *Clariſsimatus* titulo honeſtabantur, qui nobilitatem primitùs percipiebant: *Grande quidem* (inquit Caſsiodor. *lib. 7. epiſt. 28.*) *vita teſtimonium eſt, non tam* clarum, *quàm* clariſsimum *dici: quando penè totum de illo optimum creditur, qui tanti fulgoris ſuperlatiuo nomine vocitatur.* Hodie *Aſtigi vetus* dicitur terminus nomine *Valcargado*, vbi adhuc nomen *Civita vieja* conſeruatur, vt probat P. Mart. de Roa *in Antiq. Aſtigit. c. 3. fol. 15.* licet alij contendant eſſe vicum, hodie *Alameda*.

Ostippo) quæ, & *Aſtappa*. Conventus Aſtigitani, vt ex Plinio, Zurita *fol. 562.* non Hiſpalenſis, vt ſomniauit *Ortelius*. Hodie *Eſtepa*, licet renuat Ambroſ. de Moral.

Oningis Bvcvla.) Crederem legendum: *Et geminis Oningis, Bacula caſtris*, quaſi dicat, *illic adſunt vrbes Bacula, & Oningis, vnaquæque cum proprio, & munito caſtro.* Si ita ſit abſque dubio agit de *Oningi*, quam P. Marian. *lib. 2. Hiſt. Hiſp. c. 21.* & alij hodie vocitant *Iaen*, de qua ſcripſere *M. Barthol. Ximen. Paton, & M. Franc. Rus Puerta.*

Baecvla.) Hoc nomine *Beatiam* nominat Ludovicus Tribal-

dus Toletus *in Epæneſi Ibericaſol.* 33.

Vt ſchola ſic typus eſt magnæ tibi *Bacula* laudi.

Et me iudice, non impropriè, ſi nodum diphthongi ſoluas, quo nomen vrbis antiquum ineſt, & ſic remanebit *Baecula*, pro *Baeza*. Quam nomenclaturam etiam olim habuiſſe fatentur M. Rus Puerta, & Iulianus Petri. Nec me latet apud Plin. & Antoninum eſſe oppidum *Obucula*, cui poſſet convenire conſignatio Hali, quia & ſi ita ſit, *Obucula* vocitatur a Rod. Car. *lib.* 3. *c.* 41. *El Caſtillo de la Monclona*, non procul a Carmone; At *Bacula* iuxta vrbem *Oningis*. Quidquid ſit hæc coniectatio, doctis eam relinquo.

TINGVS.) Pro hac vrbe variè diſceptatur, Plin. *lib.* 5. *c.* 1. illam primo dictam *Tingi*, poſt a Claudio in Coloniam deductā, & vocatā *Iulia traducta aſſerit*. Eius hæc ſunt verba: *Oppida fuere Laſſa, Cotes vltra columnas Herculis, nunc eſt* Tingi, *quondā ab Anthæo conditū, poſtea à Claudio, Caſare, cū Coloniam faceret, appellatū* Traducta Iulia Quod & Pompon. Mela, ex vera lectione Claudij Salmaſij in Exercit. Plin. *fol.* 282. vbi ait: *Et quā tranſvecti ex Africa Phænices habitāt, atque vnde Nos ſumus, Tingi altera*. Hanc aliqui credunt *Ronda*, ſed perperam, vt notauit Roder. Car. *lib.* 3. *c.* 58.

ALOS.) Aliqui credunt, idem quod *Alona*, quam hodie interpretantur *Alicante*, vt Roder. Car. *ad Dextr. Ann.* 52. *fol.* 24. *lit. V.* ex Carol. Cluſ. quos ſequitur Tribald. Tolet. in Epæneſ. *fol.* 31.

Nectareos ſuccos Alone, & ſacchara condit.

Quod & ſequuntur citati à P. Bivar. *ad Dextr. d. Ann.* 52. *Com.* 1. *n.* 2. *fol.* 107. Sed meo iudicio, in collocatione Hali Noſtri diuerſa fuit hæc civitas, ab illa de qua relati Auctores, cùm hic Halus Bæticæ Aſtigitanæ oppida recenſeat, & non videtur veriſimile ad Tarraconenſem tam abs re diſcedere velle. Quæ hodie ſit, me latet.

HOC ET ALOSTIGI PROTENDVNT MAENIA COELI.) Per *Tmeſim*, proſodię figuram, quæ eſt, *vnius dictionis ſectio, vna dictione interpoſita*, vt in illo Virgilij Georg. 3. *verſ.* 581.

Talis Hyperboreo Septem ſubiecta Triones.

In quo per dictionem *ſubiecta*, diſcinditur *Semptem Triones*. Sic in Halo, *Aloſtigi-æli* vox diuiditur. Hic fuere Populi Bæticæ, vt ex Plinio liquet, qui *Aloſtigitæli* ſunt dicti, cuius caput hodie dicitur *Falnalcaçar*. Etiā in hiſce regionibus deſignat Plinius Populos voce *Aloſtigi* tantum vocitatos, & ſi mea me non fallit coniectatio, crederem, carmen

Digitized by Google

men antecedens,quo Halus nominauit *Tingus & Alis*,de hiſce debere *Aloſtigis* intelligi,qui hodie ad oppidum *Almonte* pertinent,vt notauit Rod.Car.*lib.3.c.48*.

HINC ET AMINTANAS.) Pro Laminitanas, nam cùm Bæturiã Turdulorum,quæ in duas ſcinditur partes,altera Hiſpali,altera Cordubæ parens,deſcribere incipiat,& illam ad Septemtrionem,diſcriminet Ana celeberrimus amnis,qui in Laminitano renaſcitur agro,ideò fluminis aquas *Laminitanas* vocitat Anæ.

*Gentis,& hæc populo totidem,totidemq́; coercet*
*Ora,ſimul primos,& dat Luſtania Celtas:*
*Hiſpalis ecce tuos;infantes nomina Turdi*
*Dant alijs,medijs quos Tarraco detinet agris;*
*Corduba quos quondam frenabat matribus actos*
*Celtibris,ipſoſque dedit Luſtania Celtas,*
*Diſtinguitque natis populos·Hic Seria,Fama*
*Iulia,Nertobrige,& Concordia Cæſaris,atq;*
*Vcultaniacumquè,nunc Turigia,Laconi*
*Murgus,& Emanicos numeris adiũge Tereſos.*
*Hic Siſapone ſonat,Laſtingi,Alpeſa,Seripho,*
*Turobricanus lucens,& Arunda cateruis.*
*Altera;& ingenuos reſouet Bæturia campos,*
*Multiiugaſq; domos,hic prima eſt nominis Arſa,*
*Ilipa quæ minor iſti nunc contiguior vrbi.*
*Mirobrica,& magnæ non bello ignota Cariſſæ*
*Agmina;& vrbs populis Regina obverſa Latinis:*



BIBLIOTECA

*Andoriſe, & Baſſaro, Cappagum, Oleaſtro, Belippo,*
*Callet, Brana.*

GENTIS, ET HAEC POPVLOS.) Vt horum carminum ſenſum ſuggeras Plinij proſam auſculta: *Quæ autem* (inquit) *Regio à Bæti al fluuium Anam tendit* (*extra prædicta*) Bæturia *appellatur, in duas diuiſa partes, totidemquè gentes. Celticos, qui Luſitaniam attingunt, Hiſpalenſis Conuentus. Turdulos qui Luſitaniam, & Tarraconenſem accolunt, iura Cordubam petunt. Celticos à Celtiberis ex Luſitania adueniſſe manifeſtum eſt; ſacris, lingua, oppidorum vocabulis, quæ cognominibus in Bætica diſtinguũtur. Seria, quæ dicitur Fama Iulia, &c.* En totos carminum neruos, Plinij contextura ſolutos. De Bæturia vtràque late ſcripſere Ambroſ Moral. in Antiq. Rod. Car. *lib. 3. c. 65.* Ego in Hiſt. Hip. *c. 3. lib. 1.* Nunc ad oppida ſingula Conventus Hiſpalenſis, quæ primò à Plinio, & Halo recenſetur, deſcendamus.

SERIA) quæ & *Fama Iulia.* Sic a Plinio accepimus. Hodie *Feria* dicitur, caput Ducatus illius nominis, in quò comprehenditur *Zafra,* non procul, quam *Aſſafram* appellitat Tribald. Tolet. *fol. 33.*

Aſſafra eſt pecoris, nivei quoque lactis abundans.

NERTOBRIGA) quæ & *Concordia Iulia.* Vt Plinij veſtigia ſequamur, licet in voce diſſentiat Halus. Ille, ſeu eius codices, *Vertobriga.* Iſte vti ex charactere elicitur, *Nertobriga.* Quibus credetur? Ego pro Halo Noſtro conijcio. Benedictus Arias Montanus celebris Hiſpaniæ ſplendor, & Extremaduræ Noſtrę lumen, qui in oppido *Fregenal* natus, illius antiquitates elicuit, fatetur ſe inſcriptionem Romanam penè dirutam inveniſſe, in qua hæc lectitantur vocabula:

NERTODRIGA RESPVDLICA.

Vbi D. pro B. literis ſcripſit artifex.
Item pro Halo facit Itinerarium Antonini, in Itinere *à Braccara, Aſturicam,* apud Zuritam *fol. 96.* & in Not. 581. vbi inter *Præſidium,* & *Forum,* conſignat *Nemetobrigam,* Quæ a fortiori dicenda eadem, ac *Nertobriga* Hali, & *Vertobriga* Plinij; quia *Præſidium*, hodie creditur *La*

*Pac-*

*Puebla de Guzman*, quæ totidem paſſus enumerat ad *Nertobrigam*, hodie *Fregenal*. Ad vmbilicum rem adducat S. Marc. Max. *in Chron. Ann.* 575 qui loquens de S. Exuperantio Nertobrigenſi, ita ſcriptum reliquit: *Per hos dies Nertobrigæ, vel Concordia floret Exuperantius, Abbas Benedictinus, Diſcipuluſque S. P. Benedicti, de quo tale legi elogium: Nertobriga, qua Concordia dicitur in Bætica floret Exuperantius Vir Dei, & ibidem, vt Sanctus habetur.* Huius Sancti Abbatis ſepulchralis inſcriptio, adhuc ibidem viſitur quam Rod. Caro, *in prætermiſsis ad Maximum* edidit, & in *Chorograph. Hiſpal. lib.* 3. *c.* 66.

Vcvltvniacvm) quæ & *Turiga*. Hîc corrigendum venit Itinerarium Antonini, vbi *Curica*, pro *Turiga* invenitur, apud Zurit. *fol.* 98. & *in Not.* 583. licet prętermiſſerit, hodiè vt creditur, *Calera*, errauit Andr. de Poza, qui *Voltuniaco* dixit.

Laconimvrgvs) quæ & *Conſtantia Iulia*. Hæc vrbs diuerſa ab illa, quæ in Vetonibus iuxta *Caparam* inferius a Plinio conſignatur. Hæc in Bæturia Bæticæ. Illa in Vetonibus Luſitaniæ. Iſta propter ſitum, & cognomen, coniectatur *Conſtantina*. Vide Rod. Car. *lib.* 3. *c.* 70.

Emaniaci Teresi.) Credo legendum: *Et Emanicis numeris adiunge Tereſos.* Vt duo diuerſi populi conſignentur. Alij *Emanici Callenſes*. Alij *Tereſi Fortunales*. Quo Plinij verba complectentur, ſic: *Tereſibus Fortunales, & Callenſibus Emanici.* Sed ſi coniecturis eſt locus, ſuſpicarer non duos populos in Plinij recenſione nominari, ſed quatuor, ſcilicet *Emanici, Callenſes, Tereſi, & Fortunales*. Nam verba Plinij haud ſenſum conſtituunt, niſi ſuppleatur verbum *coniuncti ſunt*, vel quid ſimile, vt orationem perficiat huiuſmodi: *Coniuncti ſunt Tereſibus, Fortunales, & Callenſibus, Emanici.* Ex quo lucem accipiet locus ſanè difficilis S. Marci Maxim. *in Chron. Ann.* 430. vbi hæc referuntur obſcura verba: *Alani, VVandaliqui mutant nomina in Bætica: nã Ancanicum vocant, Alanis: Calem Calcani, Fortunales oppidum S. Nicolai: Tereſes Canani.* In primo nomine eſt mendum, & loco *Ancanicum*, reponendum eſt, *Emanicum*, quo, quatuor Plinij oppida complectentur. Quos hodie *Emanici* dicimus *Alanis*: ex Maximo. *Callenſes* vocitamus *Cazalla*, ex Caro. *Fortunales*, appellamus *S. Nicolas*, Patria S. Didaci Complutenſis. *Tereſi*, nominamus *Guadalcanal*. Omnes in Noſtra Bæturia.

Sisapone.) In Codicibus Plinij dicitur *Sepone*. Ambroſ. de Mo

rales illam *chillon* nominat. Roder. Car. *lib. 3. c. 63. credit Mogner* iux ta *Moron*. Et eruditè, vt mea fert opinio, quia iã ex hoc oppido, ad Populos Celticos Hiſpalenſis Conventus, Plinij transfertur ecphraſis.

Lastingi.) Repone *Laſtigi*, vt in antiquis nummis, de quibus Roder. Car. *lib. 3. c. 61*. Qui hodie credit *Zahara*.

Alpesa.) Hic etiam adeſt error, quia in antiqua inſcriptione, (quæ adhuc ſeruatur in Vtricula) huius per vetuſtæ vrbis, pro *Alpeſia*, legitur *Salpeſia*:

HVIC ORDO MVNICIPII. FLAVII SALPESANI.

De qua conſule Roder. Car. *lib. 3. c. 62*. Qui hodie affirmat eſſe ſolitudinem, ſeu eremum Vtriculæ, dictum *Fazualcazar*.

Seripho.) Pro *Serippo*, ratione carminis. Hodie dicitur *Los Molares*, vbi limpidiſsimus fons, toto orbe celebris.

Tvrobriga.) Hodie in Ducatu Vrſonenſi, dicitur *El Caſtillo de Turon*, vt credit Rod. Car. *lib. 3. c. 60*.

Arvnda.) Quæ hodie paucis mutatis dicitur *Ronda*. Sic primã Bæturia partem deſcripſit Halus Noſter; ad ſecundam, quæ dicitur Turdulorum, & Conventus Cordubenſis, deſcendens, incipit.

*Altera, & ingenuos refouet Bæturia campos*
*——— Multiiugaſque domos.*

Et verè, quia illius planicies optima gregibus, montium cacumina fertiliſsima volatilium, fluviorumque aquæ, chriſtallo ſimiles, piſcatu celebres, & omnia appetitui ſuavia, & maximè concupita. Ad vrbes pergo.

Arsa.) Celebris olim in campo Bæturiano. Eius memoria apud Scriptores inſignis. Appian. Alex. *de Bell. Hiſp.* illam, pactionum inter Viriatum, & P.R. paleſtram fuiſſe fatetur, licèt poſtea Senatus fœdera cõtempſiſſet, & aperto Marte contra ius, & ſecuritatem Viriati bellum gerere Cæpioni mandaſſet, qui *Arſam vrbem ab eo* (Viriato) *derelictam, inſuam poteſtatem redegit*, orationẽ claudit Appianus. Circa eius locum penè omnes hallucinantur. *Ambroſ. Moral.* cùm primò

eius

eius ſitum ignoraſſet, poſt, *Azuaga* coniectat, quem ſequuntur Ortel. *in Theſ. Geograph.* & P. Biv. *ad Dextr. Ann. 95. n. 4.* Iacobus Molet. *Arcos* ſomniauit. Iulian. Petr. Noſter in Adverſ. 180. ſic; *Arſa in Baturia Turdulana eſt prope Iornacam, id eſt* Hornachos, *nunc* Magazela, *vbi Caſtrum fortiſsimum, eſt Bellamata.* Laborant hæc verba manifeſto gloſemmatis vitio. Quis enim nõ videt inane, & ineptum verborum involucrum? Dictio enim *Mãgazela* cui vrbi epiteton conſignabis? An *Arſæ*? an *Iornacæ*? Si *Arſæ*, Attende, & deridebis ridiculam hanc lectionem. *Magazela* Caſtrum novum à Sarracenis cõſtructum, vt ipſum opus liquido manifeſtat, & totius regionis inconcuſſa traditio. Si *Iornacæ*, error erit peior priore, nam *Iornaca* in lectione Iuliani, correſpondet *Phornacis* Ptolomæi, iuxta *Arſam*, cui hodie nomen *Hornachos.* Quanta vero diuerſitas ſit inter vtrumque populum, ipſus ſe ſe diſtinguit ſitus. Ergo his ineptijs omiſsis ad verum pergo. *Arſa* eſt hodie oppidum dirutum, antiquitatis veſtigijs plenum, VIII. M. ab vrbe Ilipenſi Bæturiæ diſsitum ad Meridiem, in frondoſiſsimo ſilueſtrium arborum nemore, qui adhuc antiqui nominis tinnitum ſeruans *Arſellen*, præterito propè ſæculo dicebatur; hodie (propter affinitatem literarum inter S. & G. ex Martiano *lib. 3. de ſemivocal.*) appellitatur *Argallen.* Quo loco caſtrum fortiſsimum perſeuerat, & in termino Ilipenſis vrbis, hodie *Zalamea de la ſerena*, cõtinetur, ex re apud Granatenſem Cancellariam iudicata.

ILIPA QVAE MINOR ISTI NVNC CONTIGVIOR VRBI.) En nodum ſolutum. Si Ilipa Bæturiæ contiguior eſt *Arſæ*, & iſta illi propinquior eſt, quo ſenſu *Azuaga*, quæ XXIV. M. diſsidet ab *Ilipa* vrbe Bæturiæ, *Arſam* nominabis? Idem de *Magazela*, quæ ferè ijſdem Milliaribus ab illa ſeparatur. Sed ad meam reuertor *Ilipam*, quæ in Margine codicis M. S. eiſdem literis, notatur, loco *quæ minor*, nomine *Bæturiæ.* Et quælibet poterit lectio conſeruari. Hæc mea eſt Patria. Pro Patria diſceptare glorioſum eſt. Pro ipſa temperatum calamum ſumo. Lector itaque pro patria prolixum parcat parergon.

Inter Hiſpaniæ antiquarios, nihil tam antiquius, quam, quod dictio *Ili*, vrbem ſignificet, aut lingua Hiſpanica vetuſtiori, aut adventitio, ex diuerſarum Hiſpanias incolentium nationum, idiomate. Huic antiquæ dictioni compoſitionem adiunxere *Ilipa Italica*, & *Ilipa ſine cognomine.* Has tantum agnoſcunt veteres Scriptores: nam quæ de *Ilipulis* circumfertur, quid ad *Ilipam* attinet? *Ilipa Italica* ſeu, vt alij di-

cunt

cunt *Magna*, quæ in Conventu erat Hiſpalenſi, vt ex Plinio, Strabone, & alijs liquet, hodie *Peñaflor*, de qua nihil ad Nos. *Ilipa* verò *ſine cognomine*, præciſè *Zalamea de la ſerena* cenſenda eſt. Patet. *Primò*, quia huius veritatis *fidem*, adprobarunt Ambroſ. de Moral. *in Antiquit.* & in *S. Eulog. notat.* D. Greg. Lop. Mader. *in Mont. Sanct. c.* 33. Abrah. Ortel. in *Geograph. Theſ. verb. Ilipa Livij.* P. Pineda *in Monarch. Eccleſ. tom.* 1. *lib.* 9. *c.* 8. § 4. *fol.* 254. D. Bern. Adrete *in Antiquit. Hiſpan. lib.* 3. *c.* 21. *fol.* 417. D. Mart. Anaya *in Apolog. pro SS. Hiſpal. fol.* 13. D. Ludov. Bauia *Hiſt. Pontif. tom.* 4. *in Clem. VIII. c.* 7. *fol.* 305. Licent. Franc. Lopez Concinis meus in *interpretat. Nominis Ilipulæ.* D. Auguſt. Vaſconcel. *in Vit. Eduardi Meneſij III. Comitis Viannenſis.* Rod. Car. *in Chorograph. lib.* 3. *c.* 11. *& c.* 79. D. Franc. Barrant. *in relat. miraculor. S. Crucifixi, vulgo de Zalamea cap.* 3. P. Biv. ad Dextr. *Ann.* 300. *Com.* 2. *n.* 17. Roder. Mend. Silua *in Hiſpan. Popul. c.* 22. *fol.* 78. & Ego in *Hiſt. Ilipenſi c.* 4. quam, Deo duce, publicæ paramus luci. *Secundò*, quia ſic in Antiquis inſcriptionum characteribus, eius inſpicitur nomen. In Turri magna Caſtri hæc viſitur epigraphe.

MILESIVS. ILIP.
ANN. XXXVI.
BELLO PVNICO
IN ACIE OB.

In *quadã Caupona*, in oppido *Málpartida*, vno vix milliari à *Zalamea*, hæc; illinc tranſvecta, obliteratis literis, inſcriptio.

——HILAM. V.——
———ILIPEN.———
SITA.——————

In cippo Maioris Baſilicæ, illud celebre (quod apud Auctores laudibus extollitur mirificis) cenotaphium:

IMP. CÆSARI. DIVI NERVÆ. F.
NERVÆ TRAIANO. AVG. GERM.
PONT. MAX. TRIB. POT. IIII.
CON. IIII.
MVNICIP. IVLIPENSE,
D. D.

Si-

Digitized by Google

Similes Ilipæ inſcriptiones XXII apud me ſunt, quas alij opportuniori loco reſervamus. Nec obſtabit, quod in Cenotaphio Traiani *Inlipenſe* pro *Ilipenſe* ſcribatur, quia literæ *in*, facilè in *i*, tantum transferuntur. *Iuliopolim* in Alexandria conſtituit Plinius, quæ poſtea dicta eſt *Iliopolis*, vt fatetur Ortel. *Ciuitas Iulia* vocata eſt Hiſpalis, tempore ſequenti *Ciuitas Ilia*, & ſublatis literis medijs *tas*, remanſit *Ciuilia*, abhinc *Siuilia*. & Siuilla; quia *c*, illius regionis accolæ in, *s*, convertunt. *Iulius Aſcanius* filius Æneæ, aliquando a Marone *Iulius*, aliquãdo *Ilus* nominatur, ideoquè nulla contra nos remanet oppoſitio.

*Tertio*, nam prælium inter P. Cornelium Scipionem, & Luſitanos, (de quo T. Liv. *lib. 35*. in principio) apud *Ilipam* cõmiſſum, iuxta noſtri oppidi mœnia, confectum eſt, vt fatetur *Rod, Caro*, & indubitãter affirmat P. Pineda. *Pugnatum inde* (aſſerit Livius) *haud procul* Ilipa *Vrbe eſt*. In cuius rei teſtimonium (poſt traditionem maiorum) adhuc viſitur in loco, quo pugna confecta eſt, inſcriptio Romana, in nativo lapide, huiuſmodi:

P. CORNEL. SCIP.
D. D.

Quibus omnibus meum, licèt rudiori carmine, *donarium* appendo, quod, quidquid vrbem meam celebrem reddidit, complectitur.

## *In Vrbem Ilipam. Epigramma.*

Vrbs, quæ conſpicitur, quæ nunc ſit dicito? Nonne
Ilipa Bæturico gens memoranda ſolo?
Nonne hanc (vt fama eſt) Argiva ab origine quondam,
Egregius Sophia, Turdulus incoluit?
Nonne hic belligeros certo dedit omine, alumnos
Mileſios Mavors? Militis vrna canat:
Nonne hic, ardenti ceu fulmine, Scipio Luſos
Edomat, & populos depopulatus abit?
Nonne hic Auguſto cives tunc ſtemmate freti
Traiani Genio marmora docta vovent?
Nonne hic templa colunt Veſtæque, Patriquè Lyæo,
Vnde focum Virgo, Nebrida Mænas amat?



Digitized by Google

Nonne hic optata olim libertate parata
Municipum cœtus publica cuncta nouat,
Baſilicamque, Foroſque, Theatraque, Balnea, Fontes,
Gymnaſium, Portas, Mœnia, Templa, Lares?
Nil dubium: toto hæc illuſtrior vbere gleba
Vrbs erecta potens, Vrbis, & Orbis amor.
Proh ſcelus! At populus falſis addicitur Aris,
Menticum & quondam dogmate numen adit.
Cœliferæ at poſtquam victor Crucis arbore Chriſtus
Ætheris æternas prodigus auxit opes;
Tunc ſubito ex animo tâm noxia dogmata, prudens
Reſpuit, & fidei iungitur illa ſacris.
Hinc noſtro memoranda manens, vrbs tempore, Salue
Nunc Chriſti ſedes, atque perennis Ave.

Chriſti ergo fidem, pręter IACOBVM, ſeminarunt in Noſtra vrbe, & propinquioribus populis SS. Aquila, & Priſcilla coniuges, & Diſcipuli S. Pauli, vt infra dicemus. Ad vlteriora deſcendo.

MIROBRICA.) Ambroſius Moral. aliquibus inſcriptionibus innixus, hodie probat ſitum apud *Capilla*.

CARISSA.) Locus deſertus ex Morales. Sed *Bornos*, Rod. Car. *lib. 3. c. 29.* At iſtam eſſe hodie patet; quia Conventus eſt Gaditanij vbi ex Cordubenſi, ad illum nunc gradum Halus facit.

REGINA.) Duplex etiã huius nominis vrbs fuit. Prima in Conventu Gaditano. Altera, & Noſtra, in Bæturia, Cordubenſis Convẽtus, quæ hodie dicitur *Reyna*, non procul ab Vrbe *Llerena*.

ANDORISSE.) Sic legendũ, & probant antiqua M. SS. Chiffletij. & Stranæi Valentini. Hodie *Benalcaçar*.

BASSARO.) Licèt in Plinio *Beſaro*, legatur. *Cappage*, *Oleaſtro*, *Belippo*, & *Brana*, omnes ignotis locis deliteſcunt.

CALLET.) Vt Rod. Car. inſinuat hodie dici *Cala*, ex marmore, & nummis confirmat *lib. 3. fol. 197.* Ex quo Halus ad Tarraconenſem, ſive Citeriorem diuertens, incipit:

*——Tuas ſed iam veniamus ad oras*
*Citerior, primam mutaſti, & tempore formam*

*Cum*

*Cum ſigna horrentes euexit Magnus in Alpes.*
*Baſtulus hic primas intuſq; aſpeximus oras;*
*His Mintiſanos, Ortana, & gente, ſimulq;*
*Celtarum turbas miſcentes nomen Iberis,*
*Cum populis, agros Vettonum, collaq; circum*
*Carpetana Tagi luſtrantia viſcera longi;*
*Vacceus, Atreuacis, necnon Mauitania, turbis:*
*Et Deitaniacam ſequitur Colonia terram,*
*Emula plebs Tyrijs, mox & nova turribus vrbē*
*Sydoniam, multumq; loci cum nomine geſtans.*
*Celtarum ſtagnis Edetania inſurgit amænis,*
*Ipſa videns manus; nitet hic Valentia, Sucro,*
*Turius; hic magnæ cernuntur tecta Sagunti.*
*Quodq; hiberna capax peperit Iullobrica flumē,*
*Et Subur. Indigetes, pariter Laletanus, Ilerges;*
*Hæc Auſetanam Itanis Hiſpania gentem,*
*Ipſa Ceretanos religat Vaſconibus, ipſa*
*Vnde libet fortem protendit in æquore claſſem.*
*Hæc vrbs eſt ſocia, quæ quondam geſsit Iluro*
*Cæſaris arma; ſonāt hic blandi murmura Larni;*
*Albaq;, Maſsiliā, quæquè & vetus incola matrē*
*Ducis Troiugeno, quæ prima adverſa Tyranno.*

Tvas sed iam veniamvs ad oras citerior.) Deſcripta Bætica, vna Vlterioris Hiſpaniæ parte, ad Citeriorem accedit, cu-

ius quatuor tantum Conventus exponit, relictis tribus, ſcilicet Braccarenſi, Lucenſi, & Aſturicenſi. In Septem item Conventus Tarraconenſis diſtributa dignoſcitur, ex Plinio *lib.3.c.3.* ſic: *Nunc vniuerſa Provincia diuiditur in Conventus ſeptem, Carthaginenſem, Tarraconenſem, Cæſaranguſtanum, Clunienſem, Aſturum, Lucenſem, Braccarum.* Antequã ad illorum quatuor ſitum deveniat, populos Provinciæ cumulatim deſcribit, conſignatis aliquot Populorum civitatibus, quæ vel illorum capita, vel peculiari prærogatiua inſignes fuere.

PRIMAM MVTASTI, ET TEMPORE FORMAM.) Tempore, quo Magnus Pompeius trophæum ad Pyrenæi iuga conſtituit, vt Plinij verba ſonant: *Citerioris Hiſpaniæ (ſicut complurium Provinciarum) vetus forma mutata eſt, aliquantulum; vtpotè, cùm Pompeius Magnus trophæis ſuis, quæ ſtatuebat in Pyrenæo DCCC.XLVI. oppida, ab Alpibus ad fines Hiſpaniæ Vlterioris in ditione à ſe redacta teſtatus eſt.* Quibus verbis, & lucem accipiet carmen Hali Noſtri ſubſequens, ibi:

——— Primam mutaſti, & tempore formam
Cùm ſigna horrentes evexit Magnus in Alpes.

BASTVLVS) exorditur, vt in Plinianis Codicibus, à Populis Citerioris vniuerſaliter, ſicut & ille, *d.c.3.* ſic: *Primi in ora Baſtuli, poſt eos, quo dicentur ordine, intus recedentes Menteſani, Oretani, & ad Tagum Carpetani; iuxta eos Vaccei, Vettones, Celtiberi, Areuaci.* Quos omnes ſingulari complexione deſcribemus. *Baſtuli*, qui & *Pœni*. Duplex Populus ad ora maris; vnus ad Gaditani fretus Bæticæ fines; alter ad Mediterranei litora Tarraconenſis terminos; De vtroque creditur locutus Horatius *lib.2.od.2.* vt inquit Ortel. verb. *Baſtuli*, ſic.

Latius regnes, avidum domando
Spiritum, quàm ſi Lybiam remotis
Gadibus iungas, & vterque *Pœnus*
Seruiat vni.

MINTISANI.) Populi ſic dicti ab vrbe *Menteſa*, de cuius ſitu variè diſceptatur, vt videre eſt, apud M. Rus Puert. *Hiſt. Gienn. Secul. 1.c.16.* Cuius opinionem libenter amplector, quòd duplicem Populum Menteſanum aſsignet. Alius *Oretanus*, alius *Bardulus*. Hic hodie

La

*La Guardia*, iuxta *Giennum*. Halus Noſter verum nominis, vocabulũ ſcripſit, cùm hos populos *Mintiſanos*, non *Menteſanos* dixit, nam vt teſtis oculatus eſt *Rus Puerta*, ſic in antiqua inſcriptione legitur.

AB ORDINE
MINTISANO
OB HONOREM
VI. VIRATVS
D. S. P. D. D.

Nec obſtant *Cyriaci Anconitani* inſcriptiones à *Morales* exceptæ, & à *Grutero* collectæ: quas hactenus viſit nemo. Ex quo veniunt corrigendi *Codices Pliniani*, & *Antonini* Itinerariũ; quo loco Zurita, etiã duas colligit *Mintiſas*, *fol*. 551.

Oretani.) Ab vrbe *Oreto* dicti, hodie *Campo de Calatrava*. Vbi Eremitorium B. V. Mariae dicatum, titulo *S. Maria de Oreto*.

Celtiberi.) Horum ambitum varij variè definierunt. Hier. de Zurita *lib*. 1. *c*. 45. *Annal. Arag*. ſic cinxit: Ab Oriẽte *Nertobriga*, hodie *Ricla*, inter Cæſaraugustam, & Bilbilim. Ab Ocidente *Salonis* fontes, hodie *Xalon*, propè Methynamceli. Ad Meridiem fontes *Tagi*. Ad Setemptrionem *Mons Caunus*, hodie *Moncayo*.

Vettoni.) Populi primò dicti *Berones*, qui è Celtiberia in Carpetaniam, poſt in Luſitaniam populantes, Provinciam ferè totam impleverunt, adeò vt confuſi, aut Vettones Luſitaniæ, aut Luſitani Vettoniæ dicerentur: Hodie *La Eſtremadura Oriental*. De ipſis plura dixi *in Hiſt. S. Epitat*, *c*. 3. *fol*. 171. & *c*. 1. *fol*. 63. vbi *Prudentium* Noſtrum elucidatum invenies.

Carpetania.] Inſcriptura, varietas. Aliqui *Carpentania*, à voce *Carpentum*, dicunt, ex *curribus Carpentatis* quibus in hac Provincia maximè vtuntur Oppidani, Quorum formam, & vſum inter Romanas delitias cõſignãt L. Flor. *lib*. 1. *c*. 7. & *lib*. 3. *c*. 2. Trebell. Poll. *c*. 20. Sueton. in Caligul. *c*. 15. Ovid. *lib*. 1. *Faſt*.

Nam prius Auſonias matres *Carpenta* vehebant;

S. Paulinus *Carmin*. 31. *ad Vxor*.

Vectus magnificis *Carpentis* ſæpè per vrbes,
Rus vacuum feſsis æger adit pedibus.



Digitized by Google

Apud Polibium *Carpeſsi.* Apud melioris notæ Scriptores *Carpetani*, vt pluribus probo in *Martyr. Hiſp. tom. 1. Prid. Non. Ianuar.* Hodie dicitur *El Reyno de Toledo.* De quo loculentam latinè Hiſtoriam *D. Thomam Tamayo de Vargas* ſcripſiſſe mihi retulit *Martinus Abbas Lafarina* Siculi Regij ornamentum, & literatorum Siciliēſium decus, qui auctore, & amico denato, cum Hiſtoriæ perficiendæ, atque evulgandæ hæredum voluntate Provinciam ſuſcepiſſet, domi ſublatam, eodem quo ſibi tradenda erat die, vehementer doluit.

VACCEVS.) Apud aliquos vt Ortel. per B. literam, conſignatur. Stephanus, & P in. *per. V.* Hodie, vt interpretatur P. Mar. *lib. 1. Hiſt. Hiſpan.* dicuntur Regiones, quas *Caſtilla la Vieja* comprehendit.

AREVACVS.) Sæpè *Arrevacus*; Nonnulli *Atrevacus*. Eius primariam vrbem aliqui *Arauaca*, non procul Matrito; alij *Arevalo*, in Abulenſi Epiſcopatu ponunt.

MAVITANIA.) Pinetus, apud Ortelium, credidit *El Reyno de Murcia.* De qua apud D. Franc Caſcales, qui iſtius regni texuit hiſtoriam, altum ſilentiū. Vide P. Biv. *ad Dextr. Ann. 100. Com. 3. n. 1.*

DEITANIA.) Regio apud Carthaginem Spartariam, ſeu Novam, quæ hodie ſit, me latet. Niſi ſit *La Venta de Cotana*, de qua P. Bivar, vbi proximè *fol. 206.* agens de *S. Vincentio* Epiſcopo Mevitano, cuius ſacra lipſana ad oppidum *Deitanum* translata requieſcunt, ex Dextro. De quo & Nos ad amuſsim die *VI. Iunij tom. 3. Mart. Hiſpan.* Vide interim Iulian. *Adverſ. 366 fol. 80.*

COLONIA EHVLA PLEBS TYRIIS.) Carthago Nova, ſeu Spartaria, hodie *Cartagena*. Quam *Vrbem Sydoniam* ad æmulationem illius Africanæ a Didone Sydonia extructę, vocitat, Silium Italicum *lib. 15.* imitatus.

> Vrbs colitur Teucro quondam fundata vetuſto,
> Nomen *Carthago*, Tyrius tenet incola muros,
> Vt Libyæ ſua, ſic terris memorabile Iberis.

EDETANIA.) Hodie *El Reyno de Valencia*, dicitur, in quo *Valentia Colonia*, quæ nomen retinet, vrbs Archiepiſcopalis. Eius terminos *Sucro*, & *Turius*, hodie *Xucar*, & *Turia* lambunt.

SAGVNTVS.) Celebris inter Orbis vrbes, civitas, ſi ad fidē atten-

tendas: inſignis, ſi ad conſtantiam accedas: & memorabilis ſi fortitudinem explores. Hodie *Monviedro*.

IVLLOBRICA.) Duplici L. per *epenthesin*; Hodie alijs *Logroño*, alijs, vti Pozæ, *Bermeo*.

SVLVR.) Campus iuxta Tarraconem. *Indigetes*, Populi, quorum caput *Empuria*, a fluvio *Sambroca* ad *Caput Crucis*, hodie, *Cabo de Creux*.

LALETANVS) Iuxta Barcinonem, a fluvio *Lebrecate*, ad *Sambrocam*.

ILERGES.) Populi iuxta Ilerdam. Stranæus Valent. M.S. apud me, affirmat, ſuo ſæculo vocari *El Campo de Vrgel*.

AVSETANI, ET VICCETANI.) Hodie *Vic*, aut *Vique* Sedes Epiſcopalis in Cathalonia.

ITANI.) Quos Stranæus Valentinus, ad oppidum *Albafera* cō ſignat; de cuius tertilitate agit.

CERETANI.) Qui & *Cerretani*, Hieron. Pujad. in Antiquit. Catal. *lib.* 2. *c.* 1. aſſerit, hodie dici *Cerdania* in Pyrenæis. Propter honorem Provinciæ Noſtræ liceat aliquot veterum Scriptorum loca perpendere, vt & ipſa lucem accipiant, & vnicuique quod ſuum eſt tribuatur. In Scenam primus deſcendat Plinius *lib.* 14. *c.* 6. Qui generoſa vina referens, ſic in aliquibus codicibus, ſcriptum reliquit: *Ceretane* (vino) *inter Gallias conſiſtit auctoritas*. Quis quæſo Geographus, quis Hiſtoricus *Caretanos* populos, quorum vina laudat Plinius, illuſtrauit? Vel nudis ſaltim nominibus, nuncupauit vnquam? Me hercule, nullus. Atqui ſi *Ceretanos* in Hiſpanio nobiles comperimus, proculdubio de illis locutum Pliniū fatendum eſt. Siquidem idem Plinius *Ceretanos* populos in Hiſpania *lib.* 3. *c.* 3. conſignat. Horum vina inter laudatiſsima adnumerauit Mart. *lib.* 13. *ep.* 124. Cuius carmina, ſecundô, lucem accipient, hucuſque ab interpretibus, dilaniata. En diſtichon:

> Ceretana Nepos ponat, Setina putabis,
> Non ponit turbæ, cum tribus illa bibet.

Scio omnes ferè eruditos haſtenus exiſtimaſſe Martialem hoc loco, eſſe locutum de *Carretanis Etruſcis*, in quo exponendo non minus errarunt, quam in illo, eiuſdem *lib.* 13. *ep.* 54. cuius lemma eſt: *Perna*.

Ceretana mihi fiat, vel maſſa licebit
De Menapis: lauti de petaſone vorent.

Crediderunt enim hoc quoque ad *Carretanos Etruriæ* referendum, in quod manifeſtum erratum ne inciderent, potuiſſent Strabonis lectione admoneri, ſic *lib.3.* Geograph. ſcribentis. *Media Pyrenes loca convalles tenent, quas frequentes cultores habitant, quas, qui maxima Hiſpaniæ portio* Ceretani *tenent, à quibus multifariam pernæ condiuntur.* Quid his Strabonis verbis lucidius eſſe poteſt? Quid apertius? Sed & Athenæus *lib.14.c.30.* eadem probat; Cuius auctoritate Rader. ad Mart. *fol.866.* contra Domitium, & antiquiores, hanc noſtram ſententiam approbauit. Quam prius invenerat Philipp. Beroald. ad Plin. *d. c.6.* qui ex Columel. *lib.4.* de R. R. vina *Ceretana Hiſpaniæ* laudat, & Martorell, Hiſt. Dertuſan. *lib.2.c.22.fol.550.*

VASCONES.) Duplex Populus, in Hiſpania ad Pyrenæa iuga occidẽtalia, alter, in Gallia, ad ipſius montis radices alter. Hodie ille *Nauarra*, iſte *Gaſcuña*. De vtroque ſcripſit Oihenart. De Noſtro *D. Ioannes de Gongora*, in Ciuilibus, & *D. D. Prudentius de Sandoual Epiſcopus Pampilonenſis*, in Eccleſiaſticis. De Gallo ſeparatim *Guillermus Catellus*, omnimodam Hiſtoriam.

IPSA VNDELIBET FORTEM PROTENDIT IN AEQVORE CLASSEM.) De *Barcinone* loquitur, cuius ſecurus portus, & celebre emporium, paſsim à Coſmographis, & Hiſtoricis laudatur. Ex quo S. Paul. in Poem. *ep.12.* ad Auſonium, illam *amœnam* vocitauit: De eius antiquitatibus ſcripſit *Hieronymus Paulus*, & de eius Comitibus *P. F. Franciſcus Diago*, & plura *Pujades*, & *Carbonell*, in ſuis Chronicis.

ILVRO) quamvis Chifletio *Irulo*, & Moriſoto *Diluron*. Hieron. Pujad. (cui in hoc credendum eſt, tanquam indigenæ) *lib.4.c.33.* illã vocat *Huro*, ſiue *Iluro*. Quam hodie *Lloret*, licet Petr. Ioann. Nun. in Geograph. credat dici *Matarò*. Abrah. Ortel. ex Nauigerio contendit eſſe locum, quem nunc *El Zerro de los Infantes* in Pyrenæis, motus ex inſcriptione ibidem reperta, ab Smetio edita *fol.66.n.7.* vbi mentio eſt de M. Vivio Materno Ilurenſi. Nam hæc coniectatio non ſufficit; potuit enim ibidem erigi monimentum Vivio; vtſi vrbs alibi ſita eſſet, Ego pro incolis iudicarem. Moriſotus ſomniat *Alora*.

SONANT HAC BLANDI MVRMVRA LARNI.) Hoc carmine

de

de Vrbe, & Flumine agit. Illa *Blanda* hodie *Blanes* Ciuitas Municipalis, priuilegium quod aſſecuta eſt, propter innumera P. R. beneficia conlata, in trãſitu Annibalis in Italiam, vt refert Pujades *lib. 2. c. 30. Lannus* fluvius eſt, ex Plinio, quis ſit, hoc æuo nemo aperit.

Alba.) Item & fluvius iuxta *Emporiam*, Hieron. Paul. illum etiam in tract. de flum. Hiſp. *Clodianum* vocat, qui per *Indicetas*, ſeu *Indigetes*, quos *Emporitanos* appellant, decurrit; *Emporias* Phocẽſium, & Latinorum, olim Coloniam, alluens, à Pyrenæis funditur, & verſus *Medas* inſulas, in quibus *Palæpolis* oppidum quondam fuit, in *Balearicum* mare devolvitur, Hieron. Pujad. *lib. 2. c. 3. & c. 7. & 14 Albam* etiam vrbem conſignat, quam primò ſic, poſt *Empurias* dictitatam contendit. Et videtur aſſentire Halus Noſter carmine ſequenti, cum clarè dicat.

Maſsiliam quæque & vetus incola Matrem,

Supple agnoſcit. Nam *Emporia* primò ex Phocenſium accolis, poſt ex Maſsilienſibus incolis conditæ ſunt, vt referunt Flor. Ocamp. *lib. 1. c. 25*. Vilidam, in *M. S. Hiſt. c. 13*. Garib. *lib. 5. c. 9*. P. Marian. *lib. 2. c. 5*. Epiſcop. Ger. *lib. 1*. Pujad. *lib. 2. c. 13*. Audi Marian. *illud preconſtanti traditur, Maſsilienſes aucti ſuorum numero, & comercij exercendi gratia, Anno ab Vrb. Cond. CCCC. XIX. multis navibus Coloniam miſiſſe in Hiſpaniam*. Cætera apud ipſum, quia prolixiora, invenies.

*Quinq; decemquè tenet populos ſub ſole tepẽti*
*Tarraco: Auguſtanis, Iullis, Gerundenſibus, ipſam*
*Biſgargitanam, Dertuſanaq; corpora turbam*
*Iungitq;, Stetanis communia iura Tearis:*
*Aqui-calolenſes, cum plebe Onenſe, phalanxq;*
*Gerſortenſis adeſt; nec Betulonenſia circum*
*Colla ſilent animos.*

Qvinqve decem.) Hoc eſt *Quinquaginta* populi in Conven-

tu Tarraconenſi; At in Plinianis Codicibus *Quadraginta quatuor*, in emendatione Chifletij *XLIII.* At apud Stranæum meum Valentinum M.S. *CL.* ab hinc annis excriptum *Quinquaginta populi* numerantur. Ex quo Hali Noſtri ſententia ſuſtinebitur: Qui Conventuum Tarraconenſium, ſeu Vlterioris Provinciæ terminos deſcribere incipiens, & *Tarraconenſem* Conventum, ceu Primarium, ex Plinio deſumens, illum quinquaginta populos amplexari fatetur, vt Plinianos ita ſectetur greſſus: *Tarracone diſceptant populi L. quorum celeberrimi Civium Romanorum, Dertuſani, Biſargitani, Latinorum Auſetani, Cerretani, qui Suliani, cognominantur, & qui Auguſtani, Sedetani, Gerundẽſes, Geſſorienſes. Tearique Sulienſes. Stipendiariorum Aquicaldenſes, Onenſes, Betullonenſes.* De his omnibus nonnullos prætermiſsit Halus, brevitatis cauſa. Ad ſingula enucleanda venio.

TARRACO.) Vrbs antiquitate celeberrima, Scipionum opus, Octauiani Cæſaris delitiæ, & humanæ conditionis exemplar. Eius antiquitates, & illuſtria monimenta congeſsit *Pons Icart*, breui licet, iu culento compendio, & *Hieron. Pujades* latiori calamo. Hodie *Tarragona*. Vltimam reſtaurationis manum accepit à B. Archiepiſcopo Bernardo Toletano, cui hoc opus ſacrauit Halus.

AVGVSTANI.) Illorum caput *Auſa*, ſiue *Vicum*, hodie *Vique*. Cui erat titulus in nummis *Auguſta Auſenſis*. De ea ſupra iam diximus.

IVLIENSES.) Princeps vrbs illorum *Ceretes* ex Poza. Hic corrigendi Codices Plinij vulgati, nam loco *Ceretani qui Suliani*, reponendum *Ceretani qui Iulienſes*, vt in antiquis M.S. apud Morales, Poza, Pujades; & Ortelium. De hac vrbe, & eius nova appellatione ſuperius meminimus.

GERVNDENSES.) Eius vrbs, quæ & Epiſcopalis, *Gerunda*, hodie paucis demptis literis *Gerona*.

BISGARGITANA.) Quo ſitu fuerit, ſub iudice lis. Goltzius in Theſaur. Antiquit. ex nummiſmate in Edetanis conſtituit, ſub vocabulo *Biſcargis*. Plin. & Halus, in Conventu Tarraconenſi. Pujades nec aliquod eius loci veſtigium adinvenit.

DERTVSA.) Etiam Epiſcopalis Ciuitas, hodie *Tortoſa*. Eius antiquitates, & ſacra concinnauit, occaſione Cinguli B. Mariæ V.D.N. quod ibidem adſeruatur, Franciſcus Martorel, & Luna, Dertuſanus.

Stetanis Tearis.) Repono *ſedetanis* ex Plinio, quos à *Tearis* diſtingue quia ſeparati cenſendi ſunt Populi. *ſedetanos* è regione Conventus Cæſarauguſtani ex Pozs, & Pujades. *Teari.* Tarafa illos *Teruel.* Pujades apud Gerundenſes, quos *Aro*, & *Valdeare* vocitat.

Aqvicaldenses.) Iſtos Marineus, & Tarafa *Caldes de Mōtbuy en vallès* fuiſſe credunt, Hieron. Pujad. *lib.* 2. *c.* 1. *& lib.* 4. *c.* 34. hodie *Arles* appellitat.

Onenses.) De his etiam mentio apud Plin. *lib.* 3. *c.* 5. Eius ſitum, vt Hier. Pujad. *d. lib.* 4. *c.* 34. coniectat, fuit, vbi hodie *Cueſa.*

Gersoriensis phalanx.) Populi iſtius Cathalonicæ ditionis, Hieron. Pujades *lib.* 4. *c.* 34. fatetur ignorare ſitū, niſi ſit (inquit) vrbs, quæ hodie dicitur *Beſora*, in Comitatu Biſoldunenſi.

Betvllo.) Diuerſa à *Betur* illa ſtipendiaria; hæc municipalis, illa hodie *Badalona*. Hæc noſtro æuo *Mataró*, vt adnotauit Pujades *d. c.* 34. *fol.* 178.

*Ibroq; affuſa recepit*
*Cæſarauguſta ſinu, decies terquinque ferocem*
*Callaturganum Celſenſi admiſcuit, atque*
*Oſcenſes, Bellique occultant nomina Tanis.*
*Hic, & Ilerda manet Romana nota ruina,*
*Cui Sicoris rigido madeſcit guttura Phœbo.*
*Turiaſonenſis; genſq; Ercabicenſis, & ipſi*
*Nicentes, vincti veniunt Gerdenſibus Oſsi,*
*Arcobricus pariter, ſimul Andagolēſis, & Arco*
*Cælitonus, dura quam ſignat fabula gente.*
*Quod ſciſſo ſermone ruat, Carcenſe leonis*
*Plebe, Lacetanis ſociatur terra maniplis.*

*Huic etiam primum, cui fertur Salduba nomen,*
*Sunt Daminitani ſocia ditione, ſimulque*
*Hic, Ilurſenſes, populo Cortenſe, Iubique*
*Enſis adeſt, ſonituq; tumens Pampilonia magno.*

Recenſitis aliquot vrbibus ex Tarraconēſi Cōventu, Poëta ad Cæſarauguſtani oppida calamum diuertens, etiam nōnulla inſigniora præmittit, quæ ſingillatim Hiſpana faciemus.

CAESARAVGVSTA.) Colonia immunis, primò *Salduba* in *Sedetanis*, & Conventus iuridicus Vlterioris Hiſpaniæ, de qua Plin. *d. lib. 3. c. 3.* verba faciens, ſic: *Cæſarauguſta Colonia immunis, amne Ibero affuſa, vbi oppidum antea vocabatur Salduba, regionis Sedetaniæ, recipit populos LII. Ex his Ciuium Romanorum Bellitanos, Celſenſes. Ex colonia Calagurritanos, &c.* Nec obſtat, quod Poëta Noſter dicat populos fuiſſe *Decies terquinque*, quaſi tantum *XLV.* credat, quia hæc lectio ſic conſtruenda eſt *Decies quinque ter* hoc eſt *LIII.* & licèt in Plinianis Codicibus tantū *LII.* recenſeantur, facilè potuit vnitas obliterari.

CALLATVRGANVM.) Repone *Calagurritanum*. Huius vrbis duplici nomine memoria eſt. Imó duplex populus. Alius, qui *Calagurris Iulia Naſica*. Alius, qui *Calagurris Fibularia*. Illa hodie in Regno Aragoniæ *Loharre*, de qua Ludov. Lop. Hiſt. Cæſarauguſt. 1. *p. cap. 11. fol. 111.* Anton. Aug. Dialog. 7. Hæc in Regno Caſtellæ Ciuitas Epiſcopalis inſignis hodie *Calahorra*.

CELSA.) Municipium Romanorum, vt aſſerit Plin. licèt Anton. Auguſt. Dial. 6. ex aliquot nummis Coloniam vocitet, quibus *C. I. CEL.* & in alijs *C. V. I. CEL.* Hoc eſt *Colonia Victrix Iulia Celſa*, lectitatur. Quidquid ſit, hodie eſt *Xelſa*.

OSCENSES.) Celebris antiquitate vrbs, nobilitate celebrior, ſanctorum educatione celeberrima. Eius monimenta ſcripſit Franciſcus Didacus de Aynſa Yriarte. Eius Divos patriæ aſſeruit Ioannes, Franciſcus Andreas Vztarroz Regni Aragonum Hiſtoricus eleganti (vt aſſolet) calamo, perſpicaci, vt veritas poſtulat, acrimonia. De ea ferè omnes Noſtri, hodie *Hueſca*.

BELLIQVE OCCVLTANT NOMINA TANIS.) Loquitur per *Tmeſim* de populis *Bellitanis*, cuius caput hodie *Belchit*. Ludou. Lop.

*d.ſp.1.c.11.fol.*120.coniectat duo fuiſſe oppida municipalia; Alterum hodie *Bililla*, Alterum *Belchit*, ſed cùm ſine auctore loquatur, fides apud illum eſto.

Ilerda.) Ciuitas Epiſcopalis, munita, & celebris, cuius ager ferè omnibus ſæculis theatrum belli fuerat, & nunc (proh dolor!) eſt. Hodie *Lerida*. De ea ſcripſit D. Ferdinandus Ortiz de Valdes erudi tione, & iuris comprehenſione conſpicuus. *Nota Romana ruina* inquit *Halus*, de qua videndi Cæſar *in Coment. de Bell. Ciu.* Dion. Caſs. *lib.* 41. P. Mar. *lib.* 3. *c.* 18.

Sicoris.) Amnis, cuius aquæ, vt ex niuium origine, profluentes facilè Solis ardorem, & ſitim reſtinguunt. Eius incrementa ex Pyrenæis niuibus deſcribit Lucanus *lib.* 4. Hodie *Segre*.

Tvriasona.) Ex nummis, quibus intra Coronam Ciuicam nomen vrbis Tvriaso. Olim Municipium, nunc Ciuitas Epiſcopalis *Taraçona*.

Ergavica, sev Ercavica.) Ambroſ. Moral. duplicem oppidum fuiſſe fatetur, alterum *Erganica* in Vaſconibus, alterum *Ercanica* in Celtiberis. De ipſis Lud. Lop. *fol.* 110. D. Petr. Portocarrero, qui eius hiſtoriam texuit. Hodie *Molina*.

Nicentes) Repone *Leonicenſes*. Qui & Populi *Oſigerdenſes*, de quibus etiam Plin. *d. lib.* 3. *c.* 3. hodie excidere.

Arcobrica.) Triplex in Hiſpania oppidum, Bæticæ Arcos, ex Vaſſeo *c.* 20. Marian. *lib.* 1. *c.* 18. Ocampo *lib.* 1. *c.* 7. & *lib.* 2. *c.* 24. Luſitaniæ: *Alcazar* ex Moletio, apud Ortelium, Celtiberiæ *Arcos de Aragõ*, ex Barreyro, & Moral. *lib.* 9. *c.* 28. vbi inſcriptio apud me, quam in Vit. *S. Epitac. c.* 2. *fol.* 129. excripſi.

Andagolensis.) Repone *Andologenſis* ex Plin. *c.* 3. Quis hodie ſit populus, adhuc non didici.

Arco-Coelitnvs. In Antonini Itinerario apud Zurit. *fol.* 613. *Arce-Cœli*. Quem hodie *Araciel* vocitat.

Carcense.) Repone *Carenſe* ex Plin. *d. c.* 3. Cuius oppidum *Caranaca*. De adiectione ad vocem *Cara*, vocabulum *Facca*, legendus Iul. Petr. *Aduerſ.* 83. *fol.* 23.

Lacetanvs.) Pujad. *lib.* 2. *c.* 1. & plures ab ipſo citati, nullam inter *Laletanos*, & *Lacetanos* diuerſitatem conſtituunt, ideò iſtos in Cathalonica conſignant. Sed error eſt manifeſtus, quem alibi detegemus.

DAMINITANI.) Repone *Damnanitani*,ex Plin.*c*.3.

ILVRSENSE.) Repone *Ilurciſe*,ex *Feſt.Pomp*.ſic: *Graccuris vrbs Iberiæ regionis,dicta à Gracco Tiberio Sempronio,quæ antea* Ilurcis *nominabatur*.Hodie *Agreda*.

CORTENSE.) Per ſyncopem *Cortonenſe*,ex *Plin.c.3. Iubique Enſis*,per Tmeſim,*Iubienſis*.Repone *Vibienſis*.Eorum ſitus ignoratur.

ADEST SONITVQVE TVMENS PAMPILONIA MAGNO.) Nam cum hæc celeberrima,primò *Pompeiopolis* diceretur vrbs, ſonitu nominis prolixo tumeſcens,pronuntiationem tanta literarum mole,diſtendit.Caput hodie Nauarræi Regni,& Ciuitas Epiſcopalis,Hodie *Pamplona*,cuius Præſules contexuit,*Sandoual*.

*Sexdecies iunctis populis Carthago duobus:*
*Pulchra Gemellenſes,hic & Lybiſocca cohortes;*
*Et caſtella ferox primis Labaenſibus,atque*
*Baſtianum,& Tani fulgeſcunt mænia Lorci:*
*Conſabuenſiaca & Dunenſis turba,corona:*
*Celtibrenſe caput,mediò non Parua Toleti*
*Vrbs.Cluniēſis habet,quos dat quaterque decēq;*
*Vardulus in multo præſcindens rura ligone:*
*Turmodigi quater atque ſimul, quis Segis , & Ammo-*
*Nenſis,& hoc pulchra Carietes mænia vallo;*
*Vennenſes pariterq; trahunt vrbeſq; decoras,*
*Quinq; tenēt;iſtoq; eſt clara Numantia clauſtro,*
*Bina trophæa negans rigidi victoris: & inde*
*Mænia pulchra patēt populus Catinēſis & ipſe*
*Lacobricenſis adeſt puribus Caucenſibus,atque*

*Am-*

*Amnis Areua ſuæ largitus nomina terræ.*
*Huc Vxama, ſenexq́; Saguntia, & ingens*
*Ante ſiti Herculeum vexata Secouia ſaxum.*
*Ipſaq́; Celtibrum, quæ neſcit Clunia caſum.*
*Tris taceo partes ſeptem de partibus; ipſum*
*Braccatum, Lucenſe caput, quoſq́; alta vocabat*
*Legibus antiquo Princeps Aſturica ſceptro.*

Poſt duorum Conventuum deſignationem Vlterioris, ad quinque ſuperſtites breui commemoratione deſcendit Poëta Noſter, atque ita duorum vrbes percurrit, vt vix veſtigia calamus fixerit, & in tribus omnino vrbium nomina prætermiſerit. Nunc ad ſingula.

Sex decies ivnctis popvlis Carthago dvobvs.) Cõventum *Carthaginenſem* aſſerit LXII. continere populos, quod & Plin. *d. lib. 3. c. 3.* inſinuat: *Carthagini conveniunt populi LXII. exceptis Inſularum incolis. Ex Colonia Accitana Gemelenſes, & Libiſoſana cognomine Foranguſtana, &c.*

Gemellenses.) Qui & *Accitani*, ex Plin. *d. c. 3.* Hodie ex omnium conſenſu *Guadix* Ciuitas Epiſcopalis.

Libisoca.) Sic legendum, non *Libiſona* vt in *Plin.* Nam in veteri inſcriptione apud Moral. Biu. & Requena *Libiſoca* viſitur. Hodie *Lezuza*, in ditione *Caſtaonenſi*, quam dicimus *Alcaraz*, vt ex *Henr. Steph. Coquo, Cluſio*, & alijs probat Ortelius. De hac vrbe ſcripſit Requena, Zurit. *ad Anton. fol. 603.*

Labaenses.) Antiquis in codicibus Plinij, vt ex not. Marginal. in impreſsis *Babanenſes*. Chifflet io *Alabanenſes*. Ego pro Haloſto. Si Chifflet io credimus, hodie *Alaua*.

Bastianvm.) Pro *Baſtitano* territorio, quod hodie in Bætica *Baza* dicitur.

Tani fvlgescvnt maenia Lorci.) De vrbe *Ilorcitana*, per varias carminis figuras, loquitur. Hodie *Lorca*, licet non deſit, qui contrarium ſentiat.

Consabvensiaca.) Legendum *Conſaburis*, ſeu *Conſabrum*. Ho

dic

die ex Morales, *Conſuegra*. De eo mentio apud Zuritam, *in Itiner. Anton. fol. 612.* & apud Amicum Noſtrũ D. Ioſeph. Pellicer in Lect. Solemn. ad Gongor. ad Poliphem. Stant. 20. *num. 3. fol. 156.* vbi inſcriptionem Romanam invenies, in qua.

CONSABVR.
ET
LAMINIT.
PP.

DVNENSES) ſiue vt Zurit. *ad Anton. Itiner. fol. 613.* legit *Dienenſes*. Ego ſcriberem cum *Halo* Noſtro, in quo *Dunenſis* invenitur. Corruptum hunc locum, ita ex M. S. pervetuſta Hiſtoria de Geſtis Rammiri Legionenſis à Zurita ad Anton. Itiner. *fol.* 595. memorata, reſtituo: *Tunc temporis populauit Rodericus Comes, Amaiam: Didacus etiam Comes populauit Burgis, per iuſsionem Regis. Populauit etiam Munio MuniaRaudam, & Gondiſaluus tollit Eximam; & Gondiſaluus Ferdinandi, Axeam*, Duniam, *& S. Stephanum*. En apud antiquiſsimũ Scriptorem *Dunia*, & ex eo *Dunienſes* non, vt corrupte *Dianenſes*, nam huius apellationis tantum *Dianium* hodie *Denia*. Nec me latet poſſe ſuſtineri lectionem Plinianam, *Dianenſis*, cum hæc vrbs etiam fuerit Conventus Carthaginenſis.

CELTIBRENSE CAPVT.) Intelligit Halus *Segobrigam* quã Plinius *d. lib. 3. cap. 3.* caput Celtiberiæ appellitat. De eius ſitu, & recentiori nomine, ſuam ſequetur vnuſquiſque ſententiam. Vaſſeus, Tarrafa, & Cluſius *Segorbe*, Morales, & Mariana, *Inieſta*, ſiue potius *Cabeça el Griego*. Primam opinionem ſequuntur Ocamp. *lib. 1. c. 8.* Garibay *lib. 8. c. 23.* Aduerſus omnes inſurgunt Zurit. *lib. 2. cap. 29. & lib. 6. c. 76.* & D. Did. Portocarr. *Hiſt. Ercauicẽſ. c. 8. p. 1.* Apud quos verum a fabulis ſegregabis.

MEDIO NON PARVA TOLETI VRBS.) Quæ caput Carpetaniæ, etiam à Plinio *d. lib. 3. c. 3.* dictitatur. Hodie *Toledo*. De eius antiquitatibus Iulian Noſt. *Adverſ.* 108. 109. 110. 111. Blaſius Ortiz, Alcoçer. Franc. Piſa, Illuſtriſs. Didacus Caſtrejonius, Turiaſon. Epiſcopus, & alij, P. Hieron. Rom. de la Higuera aliam texuit Hiſtoriam, quæ M. S. ſervatur.

CLVNIENSIS HABET.) Quartum *clunienſem* Conventum deſcribit, in quo XIV. Populos *Vardulorum* conſignat, ex Plin. *lib. 3. c. 3.* vbi hæc: *In Conuentum Cluniẽſem Varduli ducunt populos XIV. &c.*

VAR-

Digitized by Google

Vardvli.) Populi inter *Cantabriam*,& *Vaſconiam* ex Ocampo *lib*.4.*c*.3.Oliuar.ad Pompon.Mel.Stephan.Garibay verè *Cantabres eſſe* contendit. Videndi Morales, & Andr. de Poza, qui de illis agunt.

Tvrmodigi qvater.) Ex Plinij verbis: *Turmodigi quatuor in quibus Segiſamonenſes*. Hi Populi ab vrbe *Thermeda* in Carpetania dicti, vt ex Pineto ſuſpicatur Ortelius. Quæ verò vrbs fuerit iſta videndus Dexter *Ann*.290.vbi P.Biu.*n*.1.*fol*.310.

Qveis Segis, et Ammo-Nensis.) Contractis aliquot figuris, agit de *Segiſamone* vrbe. Duas huius nominis agnoſcunt Scriptores, aliā in Cantabris, vt refert Morales *lib*.8.*c*.53.quæ hodie dicitur *Sāta Gadea*. Alterā in Vacceis ex Villanouano ad Ptholom. hodie *Simancas*. Pro prima ſtat Plinij conſignatio.

Carietes.) An *Cariſti* in Cantabris iuxta Auſtrugones, vel Antrugones ex Ocampo *lib*.4.*c*.3.? An fortè hodie *Ciria* ex Pineto, & Ortelio? Nondum didici.

Vennenses.) An legendum *Vianenſis*? Dubito. *Si* antiqua lectio ſeruetur apud Ortel. ex Pineto *Dueñas* hodie. Si ſecūda erit *Viana* Gallæca iuxta Tudem, de qua Flor. de Ocamp. Barreyr. Sandoval, & alij ex Dextr. *Ann*.26.vbi Biu.*fol*.289.

Nvmantia.) Circa recentiorem contendunt ſitum celebres vrbes Hiſpaniæ pro *Zamora*, P. Alphonſus Vazquez in ſuis S. Ildephonſi vindicijs. Pro *Soria* D.D. Lupus de Morales à Conſilijs Philipp. IV. Hiſpaniæ Regi Catholico, in Invent. SS. Sergij, & Sociorum MM. Pro patria certet vnuſquiſque ſua *El Garray* Ocāpus, & Morales, quibus adhæreo.

Catinensis.) Repone *Intercatienſes*. Hodie Populi inter Legionem, & Valliſoletum ex Moral. & Ortel.

Lacobricenses.) Plutarchus in Sertorio *Langrobitarum* populos nominat. Iuxta *Burſadam* conſignat Luitprandus. Hodie *Labros* ex Portocarrero Hiſt. Ercauicenſ. *c*.11.*p*.1.*fol*.101.

Cavcenses.) Populi cuius vrbs præcipua olim Epiſcopalis *Cauca*, Hodie *Montes de Oca*. Perperam Ortelius *Coca*. De Pineto *Cuenca* iure queritur, qui hallucinatus eſt. Eius ſedes apud *Burgos* Patriarchali titulo; De qua ſcripſere R. P. F. Melchior Prieto electus Epiſcopus Paraguaienſis, cuius adhuc M. S. publicè deſideratur; & M. Ægid. Gonçal. cuius theatrum prælo ſubigitur.

ATQVE OMNIS AREVA SVAE LARGITVS NOMINA TERRAE.) Ex Plin.*d.c.3.Arevacis nomen dedit ſluvius Areva*. De Populis iam diximus ſupra *fol.* 54. inter quos erant *Pelendones*, vt ex inſcriptione à Floriano adducta ſic, *lib.3.c.42*.

GENIO LOCI PELENDONES
AREVACOON.

Eorum termini ex oppido *Rea* ad vſque Grachurrim extendebantur.

VXAMA.) Alijs *Exama*. Hodie *Oſma*. Ciuitas Epiſcopalis. Apud Dextrum *Ann.91.* & 268. epitheton *Barcha* adijcitur; ſed vt notauit *Binarius* hæc ab illa diuerſa. Alia in Areuacis, alia in Autrigonibus. Illa *Oſma*. Iſta *Orduña*.

SEGVNTIA.) Epiſcopali infula decorata. *Senex* propter eius antiquitatem. Hodie *Siguença*. De qua M. Ægid. Gonçal. & D. Did. Portocarrero hiſtorias Eccleſiaſticas texuere.

ET INGENS, ANTE SITI HERCVLEVM VEXATA SECOVIA SAXVM.) Propter celebrem pontis molem ab Hercule extructam, de quo videndus Didacus Colmenares, eius Hiſtoriographus. Hodie *Segovia*. Sedes Epiſcopalis.

CLVNIA.) Caput totius Conventus; de ea mentio eſt apud Sueton. in Galba *n.9.* vbi Torrent. *fol.* 327. numum depingit, in quo & *Sulpitia* cognominatur, Plut. *in vit. Galb.* Dion. *Caſ. lib. 39. Hiſt. Rom.* Zurit. *ad Anton. Itin. fol.* 595. Hodie creditur *Cruña*, Comitatus titulo decorata propè Vxamam.

CELTIBERVM, QVAE NESCIT CASVM.) Ex eo quôd Metellus Nepos cùm oppugnaret *Cluniam*, à Vacceis Celtiberis, ſuperatur, inſcijs Clunienſibus, vt refert Dion. *d. lib. 39*.

TRIS TACEO PARTES, SEPTEM DE PARTIBVS.) In Septem Conventus, vt diximus, partita eſt Vlterior. Actum eſt de quatuor, ſcilicet *Tarraconenſi, Cæſaraugustano, Carthaginieſi, & Clunienſi*. Tres prætermittit *Braccarenſem*, Braga; *Lucenſem*, Lugo; *Aſturicenſem*, Aſtorga.

*En Mater intacta hæc tuo ſacro nomine viſi*
*Oppida; nec labor improbus hiccine valet*

Vin-

*Vincere ferocis tam ſubitò pectora gentis.*
*Te ſatis ergo quidem cupiebam cernere; quis te*
*Cerneret? O Magnam! Non ſunt mihi pectora, quæ ſe*
*Te capiant: mihi ſat erit omnia voluere, quæ ſis;*
*Quis decor in labijs, manibus quæ gratia, quis nam*
*Fronte color, quæ flamma genis, quæ flamma capillis,*
*Luminibus quot caſtra micãt cœleſtia, quãta eſt*
*Lux animi, qui mentis odor, quæ cætera; multis*
*Ceſpitat in labijs mens digne exterrita; cæcam*
*Pectus habet vocem, vox veri turbida. Ergo*
*Da mihi te Dominam nũc rogo mente videndã,*
*Vt de meo ſacras hæc vox contingat ad aures*
*Ore, tuas: Mater eia tuo conſoue IACOBO.*

En Mater intacta ) Poſt vrbium Hiſpanicarum, quas ſe fatetur luſtraſſe Iacobvs, decreto Virginis, ecphraſim, progreditur Poëta ad explicationẽ ingẽtis amoris, quò providẽda Mariae ſpecioſa facie flagrabat, ideòque ex illo occaſionem arripiens, in illius laudes prorumpit Apoſtolus. *Mater intacta.* Frequens de Virgine epithetum, ſic in Hymno pervetuſto apud Belingh. *in Parnas, Marian.*

Mater, Virgo, intacta, pura
Cui non erit creatura
vnquam ſimilis.

NEC LABOR IMPROBVS HICCINE VALET, VINCERE TAM SVBITO FEROCIS PECTORA GENTIS.) Tam *ſubito* dixit, quia vix quindecim Menſes fuerãt elapſi, quando S. Apoſtolus apud Cæſarauguſtam degens à Virgine in Columna meruit honorari, vt ex Hugonis Portacallenſis Epiſtola ad Mauritium Braccarenſem liquet: *Quindecim Menſibus vix ferè elapſis, eius Magiſter IACOBVS ad Cæſarauguſtam adiculam excitarat, in honorem Deiparæ Virginis*, & patet ex contextu Dextri.

FEROCIS GENTIS.) Nõ converſatione politica; ſed pro tuẽdis Paternorum Deorum ritubus, & propter aſſeruanda libertatis iura. De primo locus inſignis D. Vincent. Blaſc. de Lanuza *in Periſtephan. lib.* 1. agens de parua meſſe Apoſtoli ih Hiſpania.

Nec dubium Salduba potens, tunc mole ſub iſta
Noſtra ſatis regio felix, & firma fuiſſet,
Ni effera relligio gentis, Martiſque Iouiſque
Totaque Tartarei peſtis commota Barathri,
Et Sponſam Chriſti divino ſanguine partam,
Atque vrbem noſtram multos vexare per annos
Curaſſet.

TE SATIS ERGO QVIDEM CVPIEBAM CERNERE; QVIS TE CERNERET?) Proprij amantium affectus, quorum vehemens cupiditas ſolo rei amatæ intuitu placatur. Abſint profana. Adſit Gregor. *lib.* 1. *in Ezech. hom.* 15. ſic: *Qui ſunt in Sancta Eccleſia thalami, niſi eorum corda, in quibus animæ per amorem Sponſo inviſibili iunguntur, vt eius deſiderio mens ardeat, nulla iam quæ in mundo ſunt concupiſcat, præſentis vitæ longitudinẽ pœnam reputet, exire feſtinet, & amoris amplexu in cœleſtis Sponſi viſione requieſcere. Mens itaque, quæ iam talis eſt, nullam præſentis ſæculi conſolationem recipit, ſed ad illam quam abſentem diligit medullitùs ſuſpirat, fervet, anhelat, anxiatur. Vilis fit ipſa ſalus ſui corporis, quia transfixa eſt vulnere Amoris.*

MIHI SAT ERIT OMNIA VOLVERE QVAE SIS.) Perſpicax amoris languentis cautio, vbi deficiente amantis viſione, ad contemplationem abſentis perfectionum devenitur. Perbellè Gregor. *lib.* 26. Moral. *c.* 12. agens de amante terrena, & per contemplationem ad cœleſtia erecto: *Primò enim* (inquit) *quæ eſſent æterna neſciebat, in*

*præſentium delectatione torpuerat,ſimulque ipſe tranſiens, amore tranſeuntia tenebat. Sed poſtquam quæ eſſent æterna cognouit,poſtquam ſuperna lucis radios raptim contemplando contigit, admiratione ſummorum, ſeſe ab infimis ſuſcitatus eleuauit, vt nulla iam ei, niſi quæ æterna ſunt libeant,& deſpectis tranſeuntibus,ſola quæ permanent, requirat, quæ donec veniant,continua penſitatione,vt ſpes delectetur,rimatur.*

Qvis decor in labiis.) Virginis à natura perfectiones per compendium enumerat. Quas fermè *S. Epiphanius* deſcripſit,·vt notat Cauſin.de eloq.Sacr.*lib* 14·*c*.9.ſic:*Omnes in ea pariter certabant virtutes,omnes vincebant.Sed neque naturæ bonis erat deſtituta (Maria)nam formæ quædam in ea diuinitus perſtringebat aſpectus, frons pudica,verecundiæ ſedes molliter aſſurgebat,ſub nudis, & arcuatis ſuperciliis emicabant dulces oculorum faculæ; quæ quam fortiter in intimum pectus Numinis penetrarant,quis ignorat? Naſus venuſtiſſimè incuruus caſtigatum fronti columellam faciebat,labra ſubtilia, mitis facundia, & cæleſtium gratiarum receptacula,magna ſermonis affabilitas,ſumma inceſſus modeſtia,vultus ſine mollitie decorus,ſine faſtu grauis, in perpetuo ſereno poſitus,exundantem de cælo vim lætitiæ vix capiebat.* At certè vna *pulchritudo eſt,quam mentis integritas efficit, viuus Dei color,* & ille quidem totus afflorescit Virgini,quam omnium virtutum,integer,atque illibatus decor,tanto gloriæ coronat faſtigio,vt nihil ſit in divinis operibus,nec ſplendore magnificentius, nec ſuavitate dulcius. Non in Maria fucati medicamenta candoris inquiras, genaſque ceruſſatas,vibratos ferro crines,nodoſque tortiles per inexplicabiles mæandrorum ſinus,implexos. Nec in ea ſpeculare purpuriſſum velis,ſtibium,baccata monilia,ſtalagmia,murenulas,muſcaria pauonina,totumque illud muliebris mundi choragium,quod pulchritudinem mentiri poteſt,non facere:*Scena eſt enim ineptiarum pretioſa*,quã illæ ſtudioſa luxuria conquirunt, quæ carius volunt inſanire; Sed in Maria.

Nec enim mortalis in illa
Humanus vè decor,ſed erat cœleſtis imago:
Æthereaſque Virgo flammas,& ſydera vincens;
Mira ſupercilij gravitas,ponduſque venuſtæ
Frontis,& eximia fulgentes indole vultus
Suſpenſas hominum mentes,atque ora videntum
Per longas immota moras retinere ſolebant.

Crines,caput,ora,ſinuſque
Brachia,colla,manus,poſtremaque membra ligarat
Sollerti compage Deus;

vt dixit Bapt. Mantuan. in Parthenic. *lib.* 1. delineans Virginis excellentias.

MVLTIS CESPITAT IN LABIIS MENS DIONE EXTERRITA.) Tanto maieſtatis, & decoris Virginalis, obrutus Apoſtolus, pondere; ſilentio, & humilitate claudit, quod mens etiam ſublimior comprehendere non valet. Quia *lõgum eſſet cætera perſequi; omnia dixere, cùm Dei Matrem dixere; ſed hanc dignitatem, cùm omnium, non dicam hominum, ſed etiam Angelorum, linguæ pro viribus prædicarint, coguntur exclamare*, De dilecta nunquam ſatis. Quare dixit Petr. Comeſt. de Laud. Mariæ;

Si fieri poſſet, quod arenæ, pulvis, & vndæ,
Vndarum guttæ, roſa, gemmę, lilia, flammæ,
Æthera, cœlicolæ, nix, grando, ſexus vterque,
Ventorum pennæ, volucrum, pecudum genus omne,
Sylvarum rami, frondes, avium quoque pennæ,
Gramina, ros, ſtellæ, piſces, angues, & ariſtæ,
Et lapides, montes, convalles, terra, dracones,
Linguæ cuncta forent, minime depromere poſſent
Quæ ſis, vel quanta es Virgo Regina MARIA,
Quæ tua ſit pietas, nec littera, nec dabit ætas.

Obſtupeat ergo IACOBVS tantis impeditus dotibus Virgineis, & ille tanto magis, quanto eius virtutes agnouerat propriùs.

*Vix ea fatus erat, cum ſplendida ſubito nubes*
*Cælicolum totos loci penetrauit amænos*
*Sacrati latices: furibundo in tempore cælum*
*Contremens, ſuperas nubilauit murmure luces;*
*Obſtupuit Divus; quid multo? fumigat Orbis.*

*Mon-*

*Montis vicini flammis cacumina prorſus*
*Igneſcunt, ipſas glomerauit gurgite flumen*
*Vndas ferventes, concoquens littora fulmen:*
*Cæſaris auguſtæ (quò tot prodigia certant)*
*Ad ſonitum tanti fragoris mœnia tremunt.*
*Quid vltro? titubauit totus ſtellifer axis,*
*Pulvurulenta reddens tunc omnia concaua cœli.*
*Tempora temporibus dant ſydera; protinus omne*
*Quod penè corruerat, ſimul in iam corpore pulchro*
*Vertitur; has tetras Virgo relegauit & vmbras.*
*Corpore nam viuens proprio, vt ſolaret amico*
*Angelicis ſociata choris, tunc alta columnæ*
*Occupat extrema; amandans ſic horrida Divi,*
*Vt totis, pulſante fide, hic inviſeret almam*
*Oculis, & ſenſu; nam hac fuit vnica tantum*
*Gloria, quã Divus promeruit ipſe IACOBVS.*
*Si primò ignorans, totus, quid poſceret Orbis,*
*Contremuit, totus, iam lætus viſo MARIAE*
*Sacrato vultu; his ſic verbis loquitur illam.*

Vix ea fatvs erat. Depingit *Halus* Virginis adventum e Hieroſolymis, vt viuens ſolaretur Iacobvm in agone poſitum, propter tam paruam Chriſticolarum meſſem. Ferè tota hæc carminum moles, deſcriptio fragoris, tumultuantis adventus ſignificatio eſt; cu-

ius

ius imitationis obſeruatio in ſimilibus frequens eſt, vt & huiuſmodi fieri ſolent apparitiones. De Adventu Spiritus Sancti ſuper Virginē, & Diſcipulos, diſertè *S. Luc. c. 2.* ſic: *Et factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes.* De Adventu Gabrielis Archangeli in Annuntiatione Dominica, Bapt. Mant. in Parthen. *lib.* 2. Et de Adventu Spiritus Sancti *lib.* 3. ſic:

> Et cùm flammiferæ venit ſub imagine linguæ
> Spiritus, ingenti reſonans per tecta fragore.

ANGELICIS SOCIATA CHORIS TVNC ALTA COLVMNAE, OCCVPAT EXTREMA.) De huius Adventu MARIAE Virginis, & Matris in Hiſpaniam ex Palęſtina, concors apud omnes ſentētia eſt, præter innumeros, quos congerere longum eſſet, eruditorum beneficio, hic ſubnectere per breuē hiſtoriam libet, quam M. S. antiquis characteribus, poſt Moralium S. Gregorij Magni à S. Taione Cæſarauguſtano Præſule Codicem propria manu exaratum, & in Bibliotheca de Pilari adſeruatum, venerabilis memoria, conſeruat; cuius apographum ex inſigni D. D. Laurentij Ramirez de Prado in Supremo Cōſilio Caſtellæ merito togati, Bibliotheca meus deduxit affectus; imò non deduxit, ſed tanti Viri innata humanitas, & in literarum protectione procliuis affectio, vt hiſce commentarijs affigerem, vltro obtulit. Verè vera Genij, & Ingenij eruditioris liberalitas, & amor,

> Qui vt Gentis honoret
> Nomina, libenter reſerabat ſcrinia paſsim.

vt dixit Beda de S. Cudverto *lib.* 1. Ad meam ergo Hiſtoriæ excriptionem revertere opus erit. De ea plures meminere; hactenus à nemine qui de Pilaris antiquitatibus, & de S. IACOBI Adventu ſcripſerit, excuſa, licèt ab omnibus piè deſiderata ſit. En tibi do.

## HISTORIA MIRACVLOSAE FVNDATIONIS

*SANCTAE Capellæ Beatæ MARIAE de Pilari Ci-*

*uita-*

*uitatis Cæſarauguſtæ, ad laudem, & gloriam Summæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, qui eſt vnus verus Dominus, Trinus, & vnus, & ad promulganda beneficia, & præconia Advocatæ humani generis Filij Altiſsimi Genitricis. Annuntiamus fidelibus vniuerſis narratione veridica, & fideli, qualiter ab exordio Chriſtianæ Religionis Camera, ſeu Baſilica S. MARIÆ de Pilari Ciuitatis Cæſarauguſtæ, & Eccleſia eiuſdem adorſa fuerit fundamentum. Conſequenter notitiæ fidelium tradere, diſponimus pauca quædam, quæ de mirabilibus multis ad noſtram notitiã peruenerunt, operante Virginis Filio, precibus, & meritis Genitricis ipſius, Capellæ de prolibato Pilari devotis.*

Post Paſsionem, & Reſurrectionem Salvatoris Domini Noſtri Iesv-Christi, ac ipſius in cœlum, aureo volatu, Adſcenſum, remanſit pijſsima Virgo virgini commiſſa Ioanni. Creſcente vero Diſcipulorum numero in Iudæa ad Apoſtolorum prædicationem, & ſigna; fremuerunt quorundam Iudæorũ perfida corda, magnamquè adverſus Chriſti Eccleſiam, perſecutionem ſæuiſsimam commovendo, lapidantes Stephanum, diuerſoſque nihilominus trucidando. Propterea dixerunt ad eos Apoſtoli: Vobis quidem primùm oportebat prædicare Verbum Dei, ſed quia repuliſtis illud, & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Sicquè euntes per mundum vniuerſum, iuxta Chriſti mandatum, prædicaverunt Evangelium omni creaturę, vnuſquiſque in ſortè ſua. Cùm autem egrederentur de Iudęa, vnuſquiſque accipiebat congerium, & benedictionẽ ab ipſa glorioſa Virgine benedicta. Interea revelante Spiritu Sancto B. Iacobvs Maior, frater Ioannis, filius Zebedæi mandatum accepit à Chriſto, quatenus ad partes Hiſpanas Verbum Dei prædicaturus accederet. Ipſe verò ſtatim pergens ad Virginem, oſculatis manibus, licentiam, & benedictionem, pijs lachrymis, poſtulabat. Ad quem Virgo: Vade, inquit, fili mi, imple mandatũ Magiſtri tui; & per ipſum te deprecor, quatenus in vna Civitate Hiſpaniæ, vbi maiorem numerum hominum ad fidem converteris, ibi Eccleſiam in mei memoriam, provt te monſtrauero, facias. Progrediens autem B. Iacobvs, ex Hieruſalem venit ad Hiſpanias prædicãdo; inde pertranſiens per Iſturias advenit in Civitatẽ Oveti, vbi vnum ad fidem con-

vertit. Sicque Galliciam intrans Padronum Civitatem aggreditur; inde properans in Caſtellam, quę maior Hiſpania nuncupatur, tandem venit in minorem Hiſpaniam, quæ Aragonia dicitur, in Regione illa quæ Celtiberia nuncupatur, vbi ſita eſt Cæſarauguſtana Ciuitas ad Iberi fluvij ripam. Ibi igitur D. IACOBVS multis diebus prædicans viros octo convertit ad Chriſtum, cum quibus quotidie tractās de Regno Dei, exiebat ex parte noctis ad ripam fluminis, quietis cauſa, in loco, vbi paleæ iactabantur. Ibi namquè poſt ſoporem orationi vacantes, turbationes hominum, & moleſtias Gentilium declinabant. Et ecce poſt dies aliquot, media nocte luſtrante, ſtabat B. IACOBVS cum fidelibus ſupra dictis, contemplatione, & oratione fatigatis, cæteris igitur ſopore deditis, in hora ipſius mediæ noctis, audivit Beatus Apoſtolus voces Angelorum cantantium AVE MARIA GRATIA PLENA, quaſi ſuaui invitatorio, Matutinale VIRGINIS Officiū inchoando, qui ſtatim flectens genua ſua, vidit VIRGINEM MATREM CHRISTI, inter duos choros milliū Angelorum, ſuper Pilare quoddam marmoreum reſidentem. Concentus igitur cœleſtis militiæ Angelorum Matutinale Virginis, cum verſu BENEDICAMVS DOMINO compleuerunt. Quo finito, pijſsimus vultus B. VIRGINIS MARIAE Apoſtolum Sanctum, ad ſe quàm dulciter evocavit. Ecce, inquit, IACOBE fili, locus ſignatus, meoquè honori deputatus, in quo in mei memoriam, tua induſtria, mea Eccleſia conſtruatur. Conſpice quinimò Pilare hoc in quo ſedeo, nam Filius meus, Magiſter tuus, per manus Angelorum illud tranſmiſit ex alto, circa cuius ſitum Capellæ altare locabis; in quo præſertim loco, precibus; ac reuerentia mea, ſigna, ac mirabilia Altiſsimi virtus operabitur admiranda, illis nimirum, qui in ſuis neceſsitatibus, meum auxilium implorabunt: Eritque Pilare iſtud, in loco iſto vſque ad finem mundi, & Chriſtum colentes nunquam ex hac vrbe deficient. TVNC IACOBVS Apoſtolus hilaratus lætitia multa innumeras gratias Chriſto referens, eaſdem retulit GENITRICI. Et ecce ſubito cœleſtis illa concio Angelorum, Dominam cœlorum ſuſcipiens ad Hieroſolymam vrbem reduxit, & in ſuā Cellulam conlocauit. Hic eſt exercitus ille millium Angelorum, quem Deus miſit ad VIRGINEM in hora, qua Chriſtum concepit, vt illam ſervarent, & vijs omnibus ſociarent, & illæſum Puerum cuſtodirent. BEATVS autem IACOBVS de tanta viſione, & conſolatione congaudens, continuò cępit ibi ædificare Eccleſiam, iuvantibus, quos ad fi-

dem

dem converterat, ſupra dictis. Capit autem, præfata Baſilica octo quaſi paſſus latitudinis,& ſexdecim longitudinis,habens Pilare prædictum in capite,verſus Iberum,cum Altari,in cuius Eccleſiæ ſeruitium,vnum de prædictis in Presbyterum,quaſi magis idoneum B. IACOBVS ordinavit. Conſecrans verò prædictam Eccleſiam, & ipſos Chriſticolas in pace dimittens,ſuo tempore,reverſus eſt in Iudæam, Verbum Domini prædicando. Intitulavit autẽ ipſam Eccleſiam Sanctã MARIAM de PILARI. Hæc eſt enim prima Mundi Eccleſia, in honorem VIRGINIS, Apoſtolicis manibus dedicata. Hæc eſt Angelica Camera primordijs Eccleſiæ fabricata. Hęc eſt Aula Sanctiſsima, ſæpius per VIRGINEM viſitata, in qua cum Angelicis choris viſa eſt ſępius Dei Genitrix Matutinos pſallere Pſalmos. In hac ſiquidem obtentu VIRGINIS, [illegible]imis præſtantur beneficia, & operantur inſignia multa, præſ[illegible]omino Noſtro Ieſu-Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu Sanc[illegible]t, & regnat per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Hactenus hiſtoria, quam referunt *P. Morillo, Gabriel Pennotus, Ludovicus Lopez, Michael Martinez del Villar, Ludovicus Diez de Aux, P. Bivar, D. Ioſeph Pellllicer, P. Ojeda*, & alij innumeri. In illius contextu, vnum variæ lectiones vocabulum animadvertere, illudque illuſtrare compellunt. Scilicet in illis verbis: *Cum autem egrederentur de Iudæa, vnuſquiſque accipiebat* congerium, *& benedictionem, ab ipſa glorioſa Virgine benedicta*. Vbi tripliciter lego apud varios vocem: *Cõgiarium*, alibi: *Congerium*, in meo M. S. *Congedum* fortè, ſcribendum. De vno quoque agemus ſeparatim, vt ad proprium, & genuinum Auctoris deveniamus ſenſum.

CONGERIVM, in accuſatiuo, fortè a nomine *Congerius*, quod à I. F. IC. *oppleta multitudo* vocitatur; & licèt aliquis credat, ſenſum in Hiſtoria eſſe, vnumquemque Apoſtolorum, accepta benedictione, & *congerio*, hoc eſt multitudine inſequentium Diſcipulorum, divertiſſe, congruè ex hiſtorijs liquet, hoc nullo modo ſuſtineri poſſe, quia nec B. Virgo Apoſtolis, Diſcipulos diſtribuit, nec iſthæc actio in ſubiectam cadit materiam; quia quilibet fidelis ſuo, quem receperat, adhærebat Magiſtro; ideòque hæc lectio non ſubſiſtit.

CONGIARIVM.) Vt ex melioris notæ Auctoribus apparet, hoc verbum ſignificat propriè (Iſidori Noſtri *lib. 14. Orig. c. 25.* verba recenſeo) *menſura liquidorum*, à congio, *vnde poſtea, pecunia beneficij gra*

*tia dari cœpta*, congiarium, *appellatum eſt. Vnuſquiſquè enim ſui temporis Imperator fa*v*orem populi captans, adijciebat, vt largior videretur in donis*. Hactenus Iſidorus. Quis ergo credere poterit, in hoc ſenſu locutum hiſtoriæ auctorem fuiſſe? Non enim Apoſtoli huiuſmodi munera ambiebant, ſpiritualia à Paracleto acceperant, & à MARIA Sanctiſsima licentiam, & benedictionem expoſcebant; ideò non *congeriũ*, quem in perſonarũ multitudine ineſſe diximus; nec *congiarium*, quod munus Imperatorium, quo donabatur populus, fuiſſe, expreſsimus, ſed *congedum* legendum eſt, cuius vocabuli ſignificationem, eandem eſſe ac *licentiam*, invetuſto Italorum idiomate. Hanc veritati aſſertã lectioné, inquã nemo hactenus collimavit, ſumma, qua prædictus eſt humanitate, iuxta, ac doctrina Martinus Abbas Laſarina mecum communicavit, qui *congedo* etiam nunc *licentia*[illegible]lis dici admonuit. Quod & probatur ex Theſaur. Trium Ling[illegible].verb. Congedo. Et patet, nam inferius eandem ſententiam [illegible]s Hiſtoriæ Auctor, vt tautologiam fugeret, loco *congedi*, vſu[illegible] *licentia* vocabulo. Verba de IACOBO agens, auſculta: *Ipſe vero ſtatim pergens ad VIRGINEM, oſculatis manibus*, licẽtiam, *& benedictionem, pijs lachrymis, poſtulabat*. Ergo non pediſequos, nec munera. Qua explicatione, quid clarius, quid vè luculentius dici poterit? Hanc ergo ſectare, cæteris exploſsis. Flau. Dext. Noſt. *in Chron. Ann.* 37. vbi *P. Bivar. Commẽt.* 3. *n.* 3. *fol.* 73. & Iulian. Petr. *in Chron. Ann.* 36. *n.* 7. *& Adverſ.* 428. aſſerunt, etiam *S. Ioannem Evangeliſtam, vt individuum Virginis comitem, ipſam ad Cæſarauguſtam adſociaſſe, fratremque inviſiſſe.*

*Heus tu Virgo Parens, Virgo pulcherrima, quæ tu*
*Qualiter, & Lybano Cedri exaltantur in alto,*
*Atque in Palma Cades, viridiq; in monte Cupreſſus,*
*Tantum læta tuos extendis vertice ramos;*
*Tu Terebinthus ades, placidi tu montis Oliva,*
*Tu Platanus aquis, tu myrrha, & balſama, tuq;*

*In*

*In Hyericontino Roſearum ſemina campo;*
*Tu vitis. Mihi quò tanta eſt gloria? Mater*
*Vt Domini miſerum dignetur viſere ſervum?*
*Fortunata domus! tecta hæc felicia, quæ te*
*Excipiunt: Hiſpania felix hæc tua, te te*
*Quæ capit unica, vivam per miracula tanta,*
*Intueri mecum! Sed & ego lux mea felix*
*Æternumque ero. O magni gloria mundi!*
*O decus no[illegible] tua iam ſolamina poſco;*
*Fove, refo[illegible]uos, Virgo intemerata, clientes,*
*Vt liberi patriam, te conducente, repoſcant.*

VIRGO PARENS.) Oratio gratulatoria IACOBI ad Virginē, propter beneficij exhibiti expiationem, in qua epithetà, ab Eccleſia cócini ſolità, & ab Eccleſiaſtico *c.* 24. extractá, alto humilitatis obſequio, & miro amoris æſtuantis ardore, referuntur. *Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi Cupreſſus in monte Sion: Quaſi Palma exaltata ſunt in Cades, & quaſi plantatio Roſæ in Hieryco: Quaſi Oliua ſpecioſa in campis, & quaſi Platanus exaltata ſum iuxta aquas in plateis. Sicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi, quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris.* Hactenus Eccleſiaſticus. Eccleſia, & Iacobus. Huius gratulationis, per de *Synonymiam* vtitur S. Laurent. Iuſtinian. *caſto Connub. cap.* 10. his verbis, vbi hæc, & alia complectitur epitheta: *Maria eſt porta cæli, paradiſi ianua, ſtella maris, ſolatium mundi, peccanti refugium, naufraganti portus, auxilium periclitanti, erranti via, deſperanti ſalus, mundi interventrix, interemptrix peccati, diaboli terror, & ſpiritualibus nequitijs pavor. Ipſa eſt tabernaculum teſtamēti, arca fæderis, templi propitiatorium, trhonus Dei, virga florida, nubecula leuis, hortus concluſus, ſignatus fons, porta clauſa, colūba immaculata* Roſa redolens, *lilium candens, flos nitens, virgula fumans,* Oliua virens, Vitis fructificans, Cupreſſus ſe attollens, Palma

frondens, Terebinthus ſe expandens, *campus germinans, terra pullulans. Eſt etiam ipſa glorioſa Aurora ſurgens, lucifer rutilans, luna pulchrior, ſole ſplendidior, auro purior, gemmis pretioſior*, Balſamo ſuavior, *margaritis carior, nectare dulcior, omni harmonia delectabilior.* Nos myſticè ad ſingula epitheta.

QVALITER IN LYBANO CEDRI.) Comparatur Virgo *Cedro* à multis, poſt Eccleſiam, ſic in Hymno inter Rythmos S. Bernardi, & in pervetuſto Roman. Breuiar.

Cedrus alta Lybani
Confirmatur hyſſopo
Valle noſtra.

Licèt ergo per *Cedros* aliquando in ſacris litoris intelligantur ſuperbi, vt in illo Dauidico: *Vox Domini confringentis Cedros*; attamen potius *Cedri* nomine, celſitudo gloriæ in electis accipitur, apud Prophetam: *Iuſtus vt palma florebit, & ſicut Cedrus, quæ eſt in Lybano, multiplicabitur*. Sed iſtæ expoſitiones nihil ad Nos. Comparatur MARIA *Cedro* ex eo, quia ſuper omnes humanas eſt exaltata creaturas, vt communiter ſentiunt Patres, & vt inquit S. Petr. Chryſol. *serm. 143. de Virgine*, & de alijs creaturis loquens: *ſingulis data eſt gratia per partes, MARIAE verò ſimul ſe totam dedit gratiæ plenitudo*. Sic communiter; Nos noſtrum Virgini offeramus ſymbolum. Cùm quidquã volumus indicare immortalitatem mereri, ſolemus per parœmiam, *Cedro dignus*, dicere. Quid hoc prouerbium? Quia huius arboris ea eſt natura, vt cariem, aut tineam nequaquam ſentiat, Plin. *lib. 13. c. 13.* vbi inquit: *Et libros Cedratos fuiſſe: propterea arbitrarier tineas non tetigiſſe.* S. Iſidor. Noſter, Theophraſtus, & plurimi apud Meurſium. Ex quo crederem, apud Ethnicos hanc fuiſſe arborem Eumenidibus, dicatam, cùm iſtæ ſint, vindictæ, & prauæ conſcientiæ exactrices, quarũ vulnus immortale eſt. Quod ſi hæc arbor carie caret, quare non MARIAE ſimilabitur, quæ penitus ab omni tineæ peccati macula præſeruata fuit, & contagionis neſcia? Cedro ergo comparatur, quæ vt Cedrus exaltata, celſitudinem gloriæ meretur, Cedri ſuperbiæ reſiſtit, immortalitatem omnibus parat, & Cedro digna, naturã Cedri in pulchritudine, & incorruptione recepit.

ATQVE IN PALMA CADES.) Propter carminis menſurã pro-

po-

poſitio *In* anteponitur: ſic itaque ſoluta oratione, *Atque Palma in Cades.* Huiuſmodi ad Virginem epitheto vtuntur vniuerſi. Antiquum Breuiar. Pariſienſ. ſic:

Rubus ardens, Palma iuſtitiæ,
Myrrha, Nardus ſummæ fragantiæ;
Hortus virens, Flos pudicitiæ,
Te circundant cœli delitiæ
O Maria.

Et Adam Canonicus à S. Victor. in Hymn. Virg. ſic:

Palmam præfers ſingularem
Nec in terris habens parem
Nec in cœli curia.

Ad huius comparationis concentum pertrahi potuit Eccleſiæ, & Sanctorum Patrùm affectus, propter plura; *Palma* etenim ſignum victoriæ, *Horat. lib. 1. Carm. od. 1.*

——— Palmaquè nobilis
Terrarum Dominos euehit ad Deos.

De quo videndus Aulus Gellius *lib. 3. Noct. Attic. c. 6.* Roſin. Paſchal. & Meurſ. *Palma* etiam iuſtitiam deſignat, vt ex Hymno ſupra adducto liquet, & apud Meurſ. *c. 5. n. 4.* & alibi: *Palma* item Innocentiæ hieroglyphicum fuiſſe demonſtrat S. Ambroſ. *lib. 1. de Virgin.* S. Eucher. *de Contempt. Mund.* Ioann. Meurſ. *n. 9.* *Palma* denique piorũ vitam demonſtrat; cauſam refert *S. Eucherius*, nam ſicut interior eius caudex, & tenuis eſt, & corticum ſcabritię, perplexitatequè minimè iucundus: ſuperius pars viſenda, tùm trunci, tùm ramorum amplitudine, amęnaquè pulchritudine viriditatis expanditur; ita piorum cõditio, prima faciè, contemptibilis videtur, ſed in mirificam demum exit morum, virtutumque pulchritudinem. Quis ergo maiora ſuſtinuit trophæa, quam Maria, vt Palmæ ſymbolũ præſeferret? Quis iuſtior Maria, vt illi iuſtitiæ titulum turbet? Vitæ innocentiam, quis ſuperiorem edere valebit, quam Virgo Dei Genitrix, & non deficiet?



Digitized by Google

ficiet? Morum puritatē abſque æmulatione ſortitur Noſtra hæc Palma Virginea. Sed & noſtrum Virgini obſequium pendamus. Illi anſam præbuit Orus Apollo *de ſacr. Not. lib. 1. c. 3.* ex interpretatione *Ioannis Merceri*, qui agens de *Palma*, ſic refert: *Aliter quoque Annum indicantes* (Ægyptij) *Palmam pingunt, quod arbor hæc ſola ex omnibus, ad ſingulos Lunæ ortus, ſingulos etiam ramos procreet, vt duodecim productione annus expleatur.* Et licèt hęc ratio, myſterium ferat; attamen Plut. *lib. 8. Quaſt. Connubial. c. 4.* aliud in mei ſentētiam exponit, cùm agens de *Palma*, proſequitur: *Nam prædicant, & decantant Babylonij ſexaginta ſupra trecenta commoditatum genera ipſis ab hac arbore ſubminiſtrari.* Et addit Meurſius: *Ideòque anni ſimulachrum inſigne: tot enim diebus annus conſtat, intercalaribus quinque ſubductis.* Si ergo per *Palmam* ſignificatur annus propter CCCLX. vtilitates, quas generi humano hæc arbor confert. Quis non Palmam *Virginem* agnoſcet? & Anni Dominam? quæ quotidie nobis noua ſubſidia ſubminiſtrat.

VIRIDIQVE IN MONTE CVPRESSVS.) Cur hæc arbor funeſta, & abſque fructu *Virgini* cōparetur, me latet; niſi propter æqualitatem, quam in compoſitione ramorum obſeruat, de qua Andr. Alciat. *Emblem. 198.*

Indicat effigies metæ, nomenque Cupreſsi
Tractandos pariii conditione ſuos.

Aut propter cauſas, quas S. Ambroſ. *Serm. 4. in Pſalm. 118.* in Apoſtolicis fatetur moribus: *Genus hoc arboris* (Cupreſsi) *nunquam amittit viriditatem ſuam hyeme. Iuxta ver, & æſtatem comam paſcit, nec diuerſo colore mutatur. Solam hanc arborem ventus ſuo nunquam honore deſpoliat; ſola nunquam verè exuitur amictu, aut nouo flore vireſcit. Sic Apoſtolica quoque gratia neſcit defectum, ſed vetuſtate ſui floret.* In Maria, quæ Apoſtolorum corona eſt, omnia hæc ſymbola continētur. Pulchra propter æqualitatem; ſingularis propter conſtantiā morum; nunquam a ſplendore diuertens, ſemper in gratia perſiſtens, nec hiberno peccati horrore deficiens, nec frondoſa veris gratiæ amęnitate florens, quia cùm abinitio plena totius gratiæ fuerit, nec temporū proceſſu minuitur, nec æui viriditate luxuriantis augetur.

TV TEREBINTHVS ADES.) Hæc arbor licèt perſe tenuis, & parua ſit, attamen humilitatis titulum non abhorret; ex hoc enim, & 

ſi deſ-

Digitized by Google

ſi deſpiciatur, abſque dubio propter illius odoriferam reſinam exaltatur, Plin. *lib.* 25. *c.* 6. Certè myſticum Mariae ſymbolum; illam ſui ipſius teſtem auſculta, Luc. 1. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce ex hoc Beatam me dicent omnes generationes; Quia fecit mihi Magna, qui Potens eſt.* En *Terebinthi* typus, in humilitate deſignatus, & in Virgine completus. Arbor humilitate ſubtimeſcit, ſed illius fructus ſtillis odoriferis eius paucitatem exaltat, & orbem totum fragrantiæ ſuavitatibus opplet. Maria humilitatis abyſſus, ideò Magna à Deo, & Beata à gentibus vocitatur.

Placidi tv montis Oliva.) Frequens apud Patres de hac ſimilitudine placitum. In Antiq. Hymn. Breu. Pariſienſ.

Es Oliva virens, & fertilis,
Tu Columba ſimplex, & humilis,
Tu Columna fidei ſtabilis,
Porta Sion inexpugnabilis.
O Maria.

Quòd *oliva*, ſeu *olea* pacem, & miſericordiã ſignificet, nemò eſt, qui ambigat, ſicut & fertilitatem in Hymno præcedẽti, & apud Pſalmographum: *Ego autem ſicut Oliua fructifera in domo Dei, ſperaui in miſericordia Dei in æternum.* In Virgine Pacis, & Miſericordię elogia protrita ſunt; non eſt cur in ijs inſiſtere conemur.

Tv Platanvs aqvis.) Huius arboris typum geſtat Maria, quia ſicut *Platani* vmbra refrigerat illos, quos populoſa operit coma, & tanto erit æſtimatione ſublimis, quanto ramorum frondoſitate patula, ſic Virgo Mater *Platano* aſsimilatur, tãquam vmbra vniuerſalis Eccleſiæ, ſub cuius protectione, ſub cuius ramis, Catholicus vbique operitur cœtus. Sed licèt hæc germana ſit, & trivialis elogij explicatio; aliam hieroglyphicè ex naturæ involucro ſcintillam accẽdam. Refert *Ælianus*, a quo Meurſ. *lib.* 1. *c.* 15. Munimentum ab inſidijs, atque veneficijs, per *Ciconiam Platani* folium geſtantem, ſignificari: ea ſiquidem huiuſmodi folio nidis impoſito, editis ovis, pignoribus ſatis, ab iniuria *Noctuarum* defendit *Nouit verò Ciconia amuletũ id, vt eo non accedat Noctua, vbi Platani folium fuerit.* Agnoviſti myſterium? O quiſquis es, qui ova conſcientiæ, & pignora virtutum à Diaboli faſcinatione, qui ſub *Noctuæ* funeſtis plumis, & nocturnis evo

lat vmbris,defendere cupis,folium platani, hoc eſt *Mariæ* nomen, in nidulo appone,quo amuleto cognoſces, veluti *Ciconia*, in tantum te à *Noctuæ* inſidijs pignora liberatum eas, in quantum *Mariæ* patrocinium abundans experieris ex typo.

TV MYRRHA, ET BALSAMA.) Propter virtutum redolentiam,cuius odoris ſuavitas,cuius ſpiritus fragrãtia cunctas,per totũ Orbem illuſtrat Eccleſias. Quæ varijs Virginem proſequũtur epithetis. Ex hoc, *Altare Thymiãmatis* appellatur Exod.*c.30.& 31*. Et illud Sapientis *Cant.3*.accomodatur: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum,ſicut virgula fumi ex aromatibus Myrrhæ,& Thuris,& vniverſi pulveris pigmentarij?* De illa etiam dicitur *Balſamum effuſum nomen tuum*,pro quo *P. Anton. Pimenta* hoc concinnauit decaſtichon.

O dignum gemma Gangetide Nomen,& auro,
Delicias *Mariæ*,quod mihi dulce ſapis.
Alitis Aſſyrij quod vincis odoribus ignes,
Quæque metit ſylua diuite,diues Arabs;
Balſama quod vincis felicia,vincis amomum,
Quidquid & Elyſius ſpirat odoris ager.
Quod ſapis Ambroſiam,blandi quod Nectaris hauſtus,
Delicias Divûm,quod ſapis,atque facis.
Maximus Oceanus fiat ſi felleus:omni
Pro felle,audito Nomine,mella dabit.

In pervetuſtis officijs Romano, Pariſienſi, Tornacenſi, Burgenſi, Toletano, Compoſtellano,& alijs hæc Strophe.

Cynnamomi calamum
Myrrham,thus,& balſamum
Superas fragrantia.

Omnium exempla,longum erit congerere,ideò ad alia pergimus.

TVQVE IN HIERICONTINO ROSEARVM SEMINA CAMPO.) Roſæ ſimilitudo,quam Virgo præſefert,communis eſt;ideò, quia ſic vt Roſa colore oblectat, viſu lætificat,& odore recreat, ſic MARIA colore virginitatis delectat,obtutu ſerenitatis roborat,& ſpiritu charitatis animat. De hoc elogio plura apud omnes; pulchrè in Antiq. Rom. Breu.

Gaude Roſa ſpecioſa,
Non attrita, non corroſa
Gelu, neque glacie.

Diffuſius in alio Hymno eiuſdem officij, apud Belingh. Parnaſſ. Marian. *Hymn.* 15. *fol.* 218.

Ave Verbi ſummi Parens;
Ave Roſa ſpina carens;
Per te viret mundus arens,
Per te datur venia
Ave Verbi Dei cella,
Mundi decus, maris Stella;
Serva ſervos à procella
Maris huius noxia.
Mundum pingis novo flore,
Florem paris novo more,
Virgo manens cum pudore
Novæ Roſæ gratia.

Item *Roſa* principatum inter omnes flores obtinet, ideò in omnibus Coronis, eius eſt frequens vſus, nam ſine Roſa, haud fauſta fieret coronatio. Audi Anacreontem Teium.

Roſa, honor, decuſque florum:
Roſa, cura, amorque veris:
Roſa cœlitum eſt voluptas,
Roſeis puer Cythereæ
Caput implicat coronis
Charitum choros frequentans.

Singillatim omnia vt in Roſa, in Maria comperies: *Honor, & decus florum.* Nam de ipſa Rupert. *lib.* 1. *in Cant.* poſt Sedulium: *Virgo Virginum, nec primam ſimilem viſa, nec habere ſequentem* Quod repetit Abb. Guerric. *ſerm.* 1. de Annunt. *Cura, amorque veris.* Quia cũ Chriſtus verus ſit Ver Novus, qui hyemis peccati horrida ſuo fulgore re-

parauit, & ipſiſsima eius Mater ſuper omnes illum creaturas proſequeretur amore, ideò, cura, & amor Veris dici potuit. *Cælitum volup tas*: patet ex *Hymno Græco* quem refert Nomenclator Marian. *fol.* 26. *Gaudium Angelorum*, S. Germ. *Orat. de Natiu.* B. V. *Gaudium commune mundi*, & in Pſalm. 44. *Gaudium certum vniverſi.* Quibus probatis in Maria, ergo propriè Roſa, ſi hæc, ergo omnium Regina. Quis cum illa de principatu certabit?

TV VITIS.) Et additur in Eccleſ. *cap.* 24. *fructificans.* Nam cùm B. V. MARIA multipliciter fructificauerit, nimirum pariendo benedictum fructum Ieſu-Chriſtum, Dei filium; præbendo exemplum ſanctarum virtutum omni populo, & impetrando nobis omnem benedictionem, & gratiam à Deo, ideò hoc congruit *Virgini* epithetum. Sic Lorich. *in Triumph. Mar. c.* 26. *§. fin. fol.* 282. Sed hocce elogium non adeò nudum dimittamus, vt ſola comparatione contenti, ſine noſtro ſymbolo dilabatur. Quædam ex *vitis* natura ad Virginem congruentia propalabimus, I. Per *vitem*, vt notum eſt, *lætitia* intelligitur, videndus Meurſ. *lib.* 2. *c.* 3. Nonne de MARIA canit Eccleſia: *Tu lætitia populi Noſtri, tu gloria Hieruſalem?* II. *Vitis* etiam *libertatem* ſignificat, ex quo Bacchus apud Græcos *Lyæus*, apud Latinos *Liber* dicitur. Nonne Maria noſtræ libertatis ianua fuit, vt ex morte peccati, ad vitam perveniremus æternam? Eccleſiam audi:

Tu Regis Alti Ianua,
Et Porta lucis fulgida:
*Vitam datam per Virginem,*
Gentes redemptæ, plaudite.

Perpulchrè Ioannes Geometra de Laudibus B. M. Virginis, *Hymn.* 2. hoc diſticho:

Salve gratia votorum iucunda priorum,
*Quæ generis ſolvis probra, ſcelusque vetus.*

III. *Vitis*, vt periti examinant, *felicitatem* demonſtrat, de quo exempla apud Meurſ. *§. fin. fol.* 125. Sed quod maior felicitatum exemplar, quam MARIA? Auſculta mulierem è turba: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.* Nunc pro coronide de Vite, & de Virgine, ſingulare hoc hieroglyphicum, quod meæ humilitatis excogitauit

affe-

affectio, perpendito. Mos erat antiquis Romanorum Ducibus aliquando *vitem* pro inſigni geſtare; ideò Silius *lib.* 2. Punic.

Latiæ ſuperbum
Vitis adornabat dextra decus.

De quo plura Meurſ. *d. c.* 3. §. 2. *fol.* 114. Etiam fuit mos, vt delinquẽte milite, pœna delictũ ſubſequeretur, prout grauitas expoſcebat. Si verò miſericordia interpellabat pro nocente, ne ignominia afficeretur, vite delictum expiabatur, vt Iuvenal. *ſat.* 8. indicat:

Nodoſam poſt hęc frangebat vertice vitem
Si lentus pigra muniret caſtra dolabra.

Ex quo liquet, vitem, quæ inſigne erat Principum, & Ducum, nocentium fuiſſe ſimul, & miſericordię inſtrumentum, cuius verbera nec ignominam, nec dolorem afferebant, quia interpoſito *vitis* auxilio, & Principis iram ſedabat, & horrorem dedecoris abſtergebat. Sic O MARIA verum Dei Principis inſigne, vera vitis, quæ nobis inſtanter delinquentibus (vita noſtra, & militia eſt) ſuccurris, a pœna nos redimis, & ſi qua iniungenda ſit, cum per te, quæ vitis, quia miſericors, es, exequenda eſt, penitus nec ſæua erit, nec infamiam pariet; quia de te dictum *Mater miſericordia, vita, dulcedo, ſpes noſtra.*

MIHI QVO TANTA EST GLORIA? Vſurpatum ex gratulatione admirationis Elizabeth, quando Virginem in propria conſpexit domo, de quo *Luc.* 1. dicens: *Et vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Quæ verba & Iuvencus Noſter Poëticè vſurpauit etiam *lib.* 1. *Hiſt. Evangel.* ſic:

Vnde meam tanto voluit Deus æquus honore
Illuſtrare domum, quam Mater Numinis Alti
Viſeret?

Baptiſta Mantuanus ex Carmeli famulitio, eandem, etiam carmine connexuit *lib.* 2. *Parthen.* ſententiam:

Vnde igitur mihi tantus honos, vnde iſta repente
Gaudia prorumpunt, vt ſemine plena Tonantis
Fœmina ſacratos ferat ad mea limina greſſus?

In ſequentibus carminibus felicitatem ſuam, loci, regionis, & domus explicat, propter tantæ *Virginis* viſitationem; vt olim *Elizabeth*.

O ne felicem, tua quod licet ora tueri.

*His dictis ſacrata Parens ſolamina præbens*
*Vnicè dilecto, verba hæc affatur, IAGO:*
*En Pater Omnipotẽs, qui tua nũc conſpicit altè*
*Merita, de tantis te vult liberare periclis;*
*Vltimis vt nixus, poſſis conſcendere cœlos.*
*Patrum te primã præbet iam Martyris almi*
*Palmã Apoſtolicam: Tu primus in aula Beatus*
*Ingrederis ſancta; En primus tu iugula dabis*
*Fratribus è tantis, ridens mandata Tyranni.*
*Si de meſſe timor, nullus te concutat; Ego*
*Totius en huius Regionis munera ſumo.*
*Hanc deſeras libet: Illam prædicabit amica*
*(Te procul) en tua magna cohors, nam numine plena.*
*Agmina, quæ Chriſtũ ſequẽtur numeroſa beabit.*
*Poſt te Paulus erit, qui plures tingere lymphis*
*Sacratis valebit; cui ferè ſingula tota*
*Cognoſcet tellus. Nam hunc Xantippe Beata*
*Nec non Probus, Læto cum Vincentio, plenè*
*Sequentur, Lybiſoca primi in vrbe renati.*
*Hũc Aquila & Priſcilla in vertice nemoris Arſa*

Ba-

*Baturiæ linquent, queis palma hic protinus vrget.*
*Poſt illum Petrus, Paſtor ſupremus vtraſq;*
*Hiſpanias luſtrabit amans, quē plurima paſsim*
*Sequetur turba, ex quorum tunc vocibus, illa*
*Accipient ſacros fidei cum dogmate ritus.*
*Pluribus hæc Regio decorabitur alma trophæis;*
*Pluribus en illa illuſtrabitur Ordine Sacris*
*Doctorum titulis, quos dabunt tempora ſeclis.*
*Hæc tibi, poſt tantos ſume IACOBE labores,*
*Nuncquè ſolamina, tecum totos conſpice caſus.*
*Hic mihi nunc Caſam lubens fabricato fidelis.*
*Dixit, & evanuit, propriam penetraret vt vrbē.*

His dictis sacrata Parens.) Solatur B. Virgo S. Iacobum, & à Deo ordinata, in poſterum exequenda, breuiter prædicit, & ſingulari comprehenſione recenſet, in qua Iacobi merita à Deo remuneranda, ipſius martyrium, & coronam demonſtrat. Subvē tionem Hiſpanis promittit, quos Diſcipulorum cœtus, poſt Magiſtri obitum, ad fidem convertet. Adventum S. Pauli, tanquam in eius locum ſubſtituti in Hiſpaniæ Apoſtolatu, refert, expreſsis aliquot Diſcipulis, quos Gentilium ſæua crudelitas Hiſpanos efficiet Martyres. Denique Petri Apoſtolorum Principis acceſſum ad Hiſpanos prænū tiat. Quot Sanctorum Martyrum, Doctorum, Virginū agmina ager Noſtræ Eccleſiæ fertilis parturiet, periodo compendioſa complectitur. Demum, vt illic domum ſuo nomine ſacram extruat, Inſtret, & conſecret; iubet. Hæc Virginalis oratio, eſt. Nunc ad ſingula.

Fratrvm te primam praebet iam Martyris almi palmam Apostolicam.) Fuiſſe S. Iacobvm Noſtrum Apoſtolorum Prothomartyrē, nemo eſt, qui ignoret. Sic in antiquo Compoſtellano Hymno.

Hic

Hic primus in Apoſtolis
Triumphans per martyrium
Primatum tenet nobilis
Apoſtolorum Omnium.

Et in alio ad laudes die XXV. Iulij, hymno, eadem repetuntur verba, quæ infra dabimus. Nunc quæ Eccleſia canit ſubijciemus. *O Beatũ Apoſtolum, qui inter primos electus, primus omnium Apoſtolorum, calicem Domini bibere meruit.* Quare Primus ex Apoſtolis, Martyr, vidẽdus, P. Petrus Vivero in Solemn. Divin. *differt. 3. de Apoſt. n.* 21.

EGO TOTIVS EN HVIVS REGIONIS MVNERA SVMO.) IACOBVM anxium de meſſe, Virgo Puriſsima ſolatur, & quia ſi qua fortè in eius pectore afflicto, pro grege cõmiſſo anguſtia ſupereſſet, extingueretur, Ipſa Virgo Mater pro ſe Hiſpaniam in ſuam recipit clientelam, Ferreol. Locr. *d. lib.* 2. *c.* 2. Mar. Aug. *Ecce ſubito ex Palæſtina ad Hiſpanos, Angelico famulitio VIRGO transfertur, & IACOBVM angore con ſtrictum cernens, affatur, dolorem ponere iubet; quod ſuis ſudoribus obtinere non potuit, per Diſcipulos ſe aſſequuturum pollicetur:* HOC SVAE CVRAE DESPONDISSE REGNVM.

POST TE PAVLVS ERIT.) Hiſpaniæ Apoſtolus, quia, Iacobo demortuo, in eius locum ſucceſsit Paulus, vt Chriſti per Hiſpanias fidem ſeminaret. De eius Adventu Dext. *in Chron. Ann.* 64. *vbi Biv. n.* 4. *fol.* 124. Iulianus Petri *in Chron. n.* 21. Gotfrid. Viterbienſ. in *Chron. p.* 14. & plures alij, quos refert, & congerit nouiſsimè Alphonſus de Requena *Hiſt. de Adventu S. Pauli ad Hiſpan.* 1. *p. c.* 8. *fol.* 47.

NAM HVNC XANTIPPE.) De Converſione Probi, & Xantippes in Agro Laminitano, ſic *Dexter* agens de S. Paulo: *Lybiſocæ, Laminyque vrbibus Provinciæ Arevacum prædicat, Philippum cognomento Philotheum,* Probum, Xantippam *que, eius vxorem, ad fidem cõvertit.* Iulian. *Advers.* 68. & 423. Metaphraſtes, & alij ab ipſo Requen. *c.* 9. *fol.* 78. collecti.

LAETO, CVM VINCENTIO. Non quia tempore *S. Pauli* ad fidem pervenerint; nã eorum martyrium multos poſt annos, eveniſſe, nemo eſt qui neſciat; ſed quia, prædicante in *Lybiſoca Paulo*, omnes illius Vrbis, cives, ſpirituales *Pauli* filij credentur. Quinimò potius illorũ meminit; tanquã Civiũ Toletanorum, & Poëtæ concivium. De

ipſis poſt Dextrum, Iulian, Silonen, Bivarium *fol. 303*. Sandovalium, & alios Requena, ex *c. 13. & ſequent. fol. 103.*

Hvnc Aqvila, et Priscilla.) Paulum ſunt ſecuti ad Hiſpanias *Aquila*, & *Priſcilla* coniuges, non perſonam Apoſtoli ſectantes, ſed præceptum eius complentes, vt notauit Dext. *Ann. 70.* ſic: *Heraclea in Hiſpania prædicat S. Aquila Ponticus, miſſus ab Apoſtolo Paulo in Hiſpanias, prædicationis gratia.* Qui iſti *Aquila*, & *Priſcilla* fuerint, diſce ex Act. Apoſtol. *c.* 18. Chryſoſtom. in peculiari de ipſis homilia, P. Biv. *n.* 2. *fol.* 157. & ex Dextr. *Ann.* 95. *fol.* 191. Qui eo, anno, agens de eorum paſsione, ſub nectit: *In Arſa Mariana Hiſpaniæ patiuntur Aquila, & Priſcilla.* En ex Halo, vt opinor, decaſtichon, in meo M.S.

Ponticus Aquila, Priſcilla item Pontica, Chriſti
Coniuges, hoc tumulo Martyr vterque iacet.
Martyr vterque iacet, ſequendo munera Pauli,
Cuius ab exemplo clymata cuncta notant.
Clymata cuncta notant, & Iberi clymata luſtrant.
Heracleæ ſiſtunt, agmina Chriſto legunt.
Agmina Chriſto legunt, necnon ex ciuibus Arſæ,
Hic illis palmam ſors veneranda dedit.
Sors veneranda dedit tunc Arſæ Numina tanta:
Numina tanta vouens, Arſa requirat, amet.

Plura de eorum agone coaceruata comperies in meo Martyrologio Hiſpaniæ die VIII. Iulij, vbi ad concordiam revoco alia diuerſorum martyrologia.

In vertice nemoris Arsae.) Iam ſupra egimus de hac vrbe *Arſa*, vbi eius ſitum ſumma fide tetigimus, quam opinionem, digito demonſtrat Poëta, cùm *Arſam* in vertice nemoris conſignet. Eſt igitur hodie locus *Arſa* (quem olim *Arſellen*, hodie *Argallen* dicimus) mons excelſus, & arduus, cuius inferiora (quæ ad Setemptrionem inſpectant, & vbi erat oppidum) denſis nemoribus veſtiuntur, ſuperiora alticomis interpuncta arboribus, quæ (ni illas incendia toton diſſent) & horridæ, greſſus interdicerent, & denſæ cœli claritudinem vſurparent. In vertice planities maxima, vbi adhuc funeſta propter ruinam, licet elegantiora propter artem, monimenta videntur antiqua, ad equi curſum continuantia, quæ ad amphitheatri ſpeciem acce



Digitized by Google

dunt. Ad calcem nemoris, vrbiſque dirutæ, rivulus (cum vrbe, & nomine communis) qui fruticibus circunductus ſilueſtribus, poſteriora ciuitatis tegmina pertingebat. Hic adhuc caſtrum fortiſsimum perſeuerat. In nemoris planitie, ex aquarum dilabentium, aut per cœli pluuias, aut per fontium exundantium exceſſus, copia altus, latuſque congeritur lacus, cuius vndæ placidæ ſaxū immani magnitudine procerum, arte compoſitum, ſed abſque diligentia politum, imò ſectum, tanta tenacitate complectuntur, & nimia adeo ſeueritate cuſtodiūt, vt vix accolarum oculis liberum permittant intuitum. Ibidem, vt lō gæua, ab hominum memoria, traditio eſt, tantum incolas horrorem fatigare, & noctu, diuque tranſeuntibus formidinem inſerre ſilentiū, aut ſitus opacitate ſylveſtris, aut lacus murmure vndantis, vt conlector, propter maius Deo reſervatū myſterium: quin ſortè propter Sanctorum huiuſmodi recondita pignora, in eo loco deliteſcentia, donec ad maiorem Dei gloriam, & Martyrum honorem, ipſe, qui eos martyrio coronavit, quorumque capitis capillos, ne pereant, enumerat, cuſtoditquè, illa, cōſignato propalationis tempore, noſtris depoſcentibus orationibus, manifeſtet. Nec terrorem illum accolarum parvipendendum, aut ex aliqua imaginaria cauſa iudicandum eſſe, per plura in ſacris literis exempla ſuadent. Iacob poſt viſionem ſcalæ (Geneſ. 28.) ſurgens, *pauenſque, quam terribilis eſt, inquit, locus iſte.* Daniel Propheta *c.* 7. 8. *&* 10. Abacuc *c.* 3. Ierem. *c.* 23. Cornelius Centurio Noſter Hiſpanus, viſo Angelo (*Act. c.* 10.) *intuens eum, timore correptus*, & S. Gregor. *lib.* 3. *Dialog. c.* 23. cùm de horrore ad tumulum S. Petri Apoſtoli, contracto, per Theodorum ipſius Baſilicæ māſionarium, ageret, & Petro, in Dialogo interlocutori, dubitanti convinceret, concludit: *Quid ſuper hac re miraris Petre? Nunquid nam mē te excidit, quia cum Daniel Propheta magnam illam, & terribilem viſionem vidit, ex qua contremuit, protinus adiunxit:* Et ego elangui, & ægrotaui per dies plurimos. *Caro enim, ea, quæ ſunt ſpiritus, capere non valet, & idcircò, numquā, cùm mens humana vltra ſe ad videndum ducitur, neceſſe eſt, vt hoc carneum vaſculum, quod ferre talenti pondus nō valet, infirmetur.* Ex quo liquet, non formidinem ex praua origine tā tum oriri, ſed & à cauſa deſcendere poſſe cœleſti, & maximè in locis, vbi ſunt Sāctorū corpora ſepulta, vt ex D. Greg. *lib.* 4. *Dial. c.* 21. probāt P. Petr. Tyræus de Apparit. Spirit. *c.* 14. & P. F. Emanuel Tamayo in Apolog. 3. *p. c.* 1. §. 10. *&* *c.* 3. §. 2. qui aſſerunt, ideò in hiſce



Digitized by Google

locis horrorem ſæpius agnoſci, quia *ibi ſe mente*( Sancti ) *atque cognitione, externis ſignis, probant, vbi corpora, in quibus militarunt Deo, cōquieſcunt*. Quod Tamayo fatetur, demonſtrans, locum illum, quo poſtea reperta ſunt Iliturgitanorum Martyrum ſacra cadavera, in ſuperioribus ſęculis, terribilem, horridum, & formidabilem fuiſſe. Quod adhuc hodie in noſtro Arſæ nemore experimur. Pro theſauro abſcondito fāma, apud oppidanos meos perantiqua eſt. Si ſacrorum lipſana Martyrum Aquilæ, & Priſcillæ, quale maius? Adſit Deus, vt noſtra Sacroſanctis impleat exuvijs deſideria.

Post illvm Petrvs.) Sanctiſsimi Apoſtolorum Principis, in Hiſpaniam ad Eccleſias viſitandas, adventum, referunt Dext. *Ann. 50. vbi P. Bi. & Caro*, & fere omnes Noſtri, & exteri ſacrarum rerum Scriptores, quos congerit nouiſsimè Requena *l. c. 8. fol. 46.*

Ex qvorvm tvnc vocibvs.) Ex Iacobi, Petri, & Pavli Apoſtolorum, eorumquè prædicatione Diſcipulorum, vniuerſam eſſe Hiſpaniam, Christi fidem, indicat hiſce Halvs verſibus, amplexuram. Ex eo igitur exordio, originem, crediderim, ſumpſiſſe, illud antiquum ſtemma, ab Hiſpanis vetuſtioribus depingi ſolitū, quo, poſt Virginis Matris, horum trium Sanctorum Apoſtolorum exprimi effigies, ſolemne erat. Plura de hoc exempla adducere, prolixū. Pro omnibus, illud ſingulare, in tintinnabulo, ſupra Virginis Mariae, vulgo Del pvig, in Edetanis, ſimulacrum, repertum mnemoſynon, debitum ſoluat. Licent. ergo Franciſcus Ximenez Presbyter Daroceníis( relatus à R. P. F. Franciſco Boyl *Hiſtor. del Puche cap. 5 fol. 26.*) qui anno M.CC.L. vitam agebat, & Hiſtoriam Hiſpanicæ reſtaurationis M.S. reliquit, refert, ſe inventioni huius ſacræ Imaginis interfuiſſe, & tintinnabulū (ſub cuius cavo effigies delituerat Virginea) cōſpexiſſe, in eoquè foris expreſſas Virginis, & SS. Apoſtolorū Petri, Pauli, & Iacobi fuſiles iconas demiraſſe, & in circulo, ſeu limbo Nolæ has ſigillatim, Gothicis caracteribus, literas perlegiſſe.

(***)

S. MARIA ORA PRO NOBIS
IMAGO TVA SIT NOBIS TVTRIX.
QVÆ FVIT AB ANGELIS IN LAPIDE
SEPVLCHRI TVI DEDOLATA.
ET AB EIS ADSPORTATA.
AC APOSTOLORVM ADVENTV
DECORATA.
SERVI TVI TE COLIMVS. ABIGE
FVLGVRA, TONITRVA, SONITV
CAMPANÆ, QVAM FECIMVS.
ÆRA DC. LX.

Quo epigraphe, recondito myſterio Adventus trium horum in Hiſpania Apoſtolorum, liquido pateſcit, & tantis, antiquiſsimum hunc teſtem addimus; tùm propter HALI Noſtri auctoritatem, tùm propter traditionis noſtræ corroborationem, vt nullus ſit in poſterum, diſputationi locus.

PLVRIBVS HAEC REGIO DECORABITVR ALMA TROPHEIS.) Inſinuat Virgo, Hiſpaniam pluribus Sanctorum Martyrum trophęis decorandam eſſe, necnon maximis Confeſſorum vtriuſque ſexus, titulis illuſtrandam. Quot fuerint Hiſpanorum Sanctorũ agmina, qui numerus, adhuc ſub ſilentio eſt. *P. F. Ioannes Marieta* Hiſtoriam texuit, licèt minutam; poſt eum omnis ferè Scriptorum ſedulitas conticeſcit. Ego licèt omnibus, viribus, impar, Martyrologium Hiſpanum paro, in quo ſupra LXXX. M. Sanctorũ acta *cõpagino*, ſuiſque faſtis diebus ad noto, elogijs, & notis illuſtro, ſex tomis diſtribuo, in vno quoque, duorum Menſium feſta cõponẽs, opus laborioſum, & M. SS. antiquorum auctographis textum, quod cito publicam conſpiciet lucem, ſi adſint Numina, & nummi, quibus, vt inquit ille.

Hic moderantur & Orbis
Et quæcunque gerit ingenium, & Genius.

Sin-

Singillatim *P. Martinus de Roa* ſcripſit de Sanctis *Cordubenſibus, Aſti gitanis, Aſtenſibus, Malacitanis, P. Antonius Quintanadueñas* de Sanctis *Hiſpalenſibus,* & *Vrſaonenſibus, P. F. Antonius Vincentius Domenec* de Sanctis *Catalonia, P. Antonius Vaſconcelos* de Sanctis *Luſitania,* Nunc de Sanctis *Iliberitanis* R. P. F. *Petrus à S. Cacilio, & P. Franc. de Vilches* de Sanctis *Baecenſibus* R. P. F. *Emanuel Tamayo* de Sanctis *Iliturgitanis,* & alij innumeri, quorũ catalogum haud facile colligere.

Hic mihi nvnc casam.) De Oratorio ſeu capella Virgini extruenda, agit; de quo præcepto peculiares ſcripſerunt hiſtorias, Ioannes Bordallo, Ludovicus Diez de Aux, P. Morillo, P. Gaſpar Sanchez, & alij. De huiuſmodi ſanctuario Dext. Ann. 37. hiſce verbis: *Templum, vel Oratorium B. Virgini ex eius iuſſu, præſentiaque ſuper Columnam, Cæſarauguſtæ erexit.* Item S. Marc. Maxim. in Carmine Elegiaco edito, cuius in meo M. S. adeſt apographum:

Prima domus Mariæ ſacrata eſt dicta Columnæ
Hanc eadem Iacob tradidit Alma Parens.
Cum primum hìc iaceret Divini ſemina verbi
Præco ſacer, luſtrans oppida Ibera, fide
Aſtitit hic Genitrix Hominiſque Deique verenda,
Et iubet in magna ſurgat vt vrbe domus.

Idem in hymno de huiuſmodi domo, qui etiam M. S. in meo viſitur pervetuſto codice:

O Cæſarauguſta decus,
Et dulce patrocinium;
Gentis Iberæ culmen,
Templum Columnæ immobilis:
Te præ ſolis cubiculis
Elegit ipſa Genitrix:
Quæ geſsit almo in vtero
Summi Tonantis filium.
Hæc nam Iacobo Apoſtolo
Et ſuo Conſanguineo,
Ædem iubet conficere
Cunctis manentem ſeculis.

Iulian. Petr. in Chron. *num. 7.* de eadem re agens proſequitur: *Inde venit* (IACOBVS) *Cæſarauguſtam, vbi illi nocte oranti apparuit B. Virgo ſuper Columnam, comitata Angelis, & civibus æthereis, allato ſecum S. Ioanne, individuo B. Virginis, dum vixit, comite, iuſſitquè ibi erigere, in honorem ſuum, Eccleſiam, & ſuper Columnam illam Altare, futurum pollicens, manſuram, præ cæteris Hiſpaniarum civitatibus, devotionem B. Virginis, & Fidei ſacræ anchoram ſemper ibi inconcuſſam fore.* Quæ verba, ccphraſi hiſtoriæ ſuperius excriptæ, reſpondent.

*Quãta movet animo Divus, ſed quãta revolvit*
*Succeſſura demum, quæ Virgo indixerat: illos*
*Quos ſecum duxit, quoſq; hic converterat, ergo*
*Diſcipulos iũgit, quibus omnia libere enarrat.*
*Protinus hic cellam lætus fabricare MARIÆ*
*Incipit, & manibus proprÿs erexit, & aram,*
*Quæ, providus voluit, præeſſet iuncta Columnæ,*
*Quam Mater humanis vivens calcavit honeſtis*
*Pedibus. Erectam luſtrat: Quo tempore Chriſti*
*Votum complendo, regionem linquit Iberis;*
*Committens fidei regulam, plorando, Magiſtris,*
*Quos in ſubſidium ſui delegerat alta*
*Voluntas Patris: & lubens remeauit in Vrbem*
*Iſacidum; quo creditur in itinere Gallos*
*Inviſiſſe meos, duroſque tetigiſſe Britannos*
*Et ſimul. Altaquè maris tunc volumina volvẽs,*
*Vt Chriſto vivat, mortem quærebat IAGVS;*
*Quam invenit amor, licèt vitam in morte recepit*

*Affe-*

*Affectus;quo penitus felix æthera Divus*
*Conſcendit. Sacrum corpus properè cœtus*
*Diſcipulorũ nocte capit, quin, murmure dempto,*
*In Ioppem portat, hic naue locata, receptum,*
*Hiſpanas inviſit oras, quod Iria Flaua*
*Recepit, proprio tandem ſub tegmine, corpus.*

QVANTA NOVET ANIMO.) Magna facinora, & illuſtria opera ſemper omnes animæ potentias imbibunt, adeò vt vix remaneat in ſpiritu quies, in corde placiditas, aut in corpore trãquillitas. Quando huius generis curæ quieſcunt? Aut quando iuſtorum agones præſcij, locum intermiſsioni dedere? Chriſtum attende iam morti proximum, quantis curis imbutum, ad Patris placitum adimplendum, & vulnus humani generis medicandum. *Quod facturus es fac citius*, Iudæ in menſa. *Tranſeat a me calix iſte* Patri in horto. Facta ergo illuſtriora totis viribus perficienda ſunt.

DISCIPVLOS IVNXIT.) Vt illis, quæ ab ore Virginis acceperat, cuncta proferret; more fidelium amicorum, quibus nihil reſeruandum eſt, aliàs à vero amicitiæ titulo deuiaret Apoſtolus, quod haud Eccleſiæ primitiuæ vnanimis patiebatur concordia, inter quos *erat cor vnum, & anima vna*. Imò Chriſtus Dominus amicis in hiſce caſibus regulã poſuit, Ioan. 15. *verſ.* 15. dicẽs: *Iã non dico vos ſeruos; quia ſeruus neſcit, quid faciat Dominus eius; vos autẽ dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui a Patre meo, nota feci vobis.* Quid aliud quærimus? quid expectamus? cum a Domino talia dicere cognoſcimus. Si varia velis: adi Ambroſ. *lib. 3. offic. c. fin.*

EREXIT, ET ARAM.) Pro Altare. Promiſcuæ enim ſunt voces *Altare*, & *Ara*: licet hodie ex ritu Eccleſiaſtico diuerſæ agnoſcantur; *Altare* aut terreum, aut lapideum, aut ligneum conficitur, dummodo in ipſius vmbilico lapidea *Ara* conſignetur, ad munus conſecrationis conficiendum. Quid autem olim inter haſce voces diſcriminis fuerit, ſcire ſi cupis, adi D. Ioſephum Pellicer *in Notis ad Gongora, Poliphem. Stant. 20. n. 3. fol.* 154. vbi plura comperies. Cui adiunge (adverſus impiam Iuliani Aurelij Haurechij *lib. 1. de Cogn. Deor. c. 2.* ſen-



Digitized by Google

tentiam, qui pro *Ignoto Deo* apud Athenienſes in *Ara* culto, ſubſtituit *Ignotis Dijs*) carmen Arati Diaconi *lib.2.in Act.Apoſtol.fol.286.* vbi *S.Paulus* Athenienſes increpans, ait:

Vos cernimus ARAM
Ignoto poſuiſſe Deo, qui condidit aſtra.

Vtroque ergo invenitur vocabulo, hoc, apud Auctores veteres, ædificium: in Hiſtoria de Pilari, quam ſupra dedimus, ſic Virgo Mater, IACOBO Noſtro: *Circa cuius ſitum* (inquit) *Capella* Altare *locabis.* Poſtea agens de Oratorij perfectione proſequitur: *Capit autem prædicta Baſilica Octo quaſi paſſus latitudinis, & ſexdecim longitudinis, habens Pilare prædictum in capite, verſus Iberum, cum ALTARI.* Eo etiam nomine vtitur Iulian. Petr. *d.n.7. & Advers.428.* De *Ara* adeſt in carmine apud Villar memoria:

Donec adeſſe tuum præſens Hiſpania Numen
Sentiat: hiſquè *Aris* ſupplex imponat honorem.

S.Marcus Maximus agens de templis Cæſarauguſtanis, eorumque Præſulibus in Saphico apud me M.S.Gothico:

En piè ſacris adolemus *Aris*
Thura, nardos, & ſolutos odores.

ERECTAM LVSTRAT.) Ideſt ſacrificat, ſeu Miſſam celebrat in Ara noviter erecta. *Luſtrare* enim, idem ac *ſacrificare* eſt. Sic Servius intelligit illud Virgilij *lib.3.* Æneid.

Luſtramuſque Iovi, votiſque incendimus Aras.

Ideóque *Luſtratio* itidem pro *ſacrificio* accipiebatur, Columell. *lib.2 c.28.* his verbis: *Hoc loco certum habeo, quoſdam, cum ſolemnia feſtorum præceſſuerint, deſideraturos* luſtrationum, *cæterorumque* ſacrificiorum, *quæ pro frugibus fiunt, morem priſcis vſurpatum,* Liv. *lib. 1. de luſtrali ſacrificio* meminit: *Sacrificium luſtrale* (inquit) *in diem poſterum parat.* Et inter Græcos commune placitū eſt, *Agnizo* Græce, Latine *luſtro*, verbum apud Suidam *tom.1.fol.43.ſanctificio*, vel *ſacrū facio*, eſſe. Quo

ver-

verbo etiam pro *luſtratione* vtuntur, ex Robert. Conſtantin. in Lexic. *tom. 1 fol. 17.* qui plura ex Appollonio, Plutarcho, & alijs exempla recenſet.

Qvo tempore region. linq. Iberi.) Non quia ſtatim, poſt erectionem Baſilicæ de Pilari, Hiſpaniam deſeruiſſet Apoſtolus, ſed hoc factum ſcribit Halus, eo tempore, quo Chriſti voluntas ordinaverat. Nam conſtans traditio eſt, illum Hiſpaniæ vrbes plurimas peragraſſe, poſt huiuſmodi apparitionis Virgineæ euentū. Adſit Dexter, qui annum, quo Iacobvs Hiſpanias dimiſit, breui deſcribit calculo: *Anno XLI. impleta honorifice legatione ſua, ac rebus Hiſpaniæ ſanctiſſimè compoſitis, relictaque Eccleſia, Theodori cura, quæ de Columna dicitur, quam B. Virgo ſua præſentia hoſpitauerat, beauerat, & conſecrauerat, Iacobus cum lachrymis Hiſpanorum Hieroſolymam revertitur.* Iulian. Petr. *in Chron. d. n. 7.* computum peregrinationis per Hiſpaniam explens, ait: *Et ibi dicitur in Hiſpania moratum Apoſtolum vſque ad annum XLI. ferè ſex annorum ſpatio, mira celeritate Iudæis, Gentilibus prædicaſſe.* Michael Martinez de Villar *in Not. ad Inſcript. Cæſaraug. fol 53.* breuiter his verbis: *Omnino quatuor annos B. IACOBVS commoratus eſt in Hiſpania, nempe ab Anno Chriſti XXXVI. vſque ad XL.* In quo à Dextro, & Iuliano deviat, ſed in hac ratione illis, vt vicinioribus, credendum eſt.

Remeavit in vrb. Isacidvm.) Hoc eſt Hieroſolymam revertitur. Dicitur enim hæc *Iſacidum* ciuitas, propter *Iſaac*, ex quo etiam Iacobus eius filius, etiam *Iſacides* vocitatur, ſic Ludovic. Hilleſſemius *in Sacr. Monument. Tabul. 22.* agens de *Iacob*, hoc diſticho:

Hinc ſacer *Iſacides* alto celebretur honore,
Cui ſe cœleſtes exhibuere chori.

Quod & ad ipſam vrbem vocabulum extendit, frequens Poëtarum acceptio, idem Hilleſſem. *Tabul. 30.*

Mille quis *Iſacidum* noxas, funeſtaque fando
Facta queat dignis commemorare modis?

De quo paſsim innumera comperies exempla, ideò amplius non eſt cur inſiſtam.

QVO CREDITVR IN ITINERE GALLOS INVISISSE.) De hac in Galliã, Britanniamque IACOBI peregrinatione, poſt Hiſpaniæ diſceſſum, nõnulla ſubijciemus teſtimonia, Flav. Dexter *in Chron. Ann.* 41. primas ferat: *Rediens IACOBVS Gallias inviſit, ac Britannias, vbi prædicat, ac Hieroſolymam revertitur.* Eadem ferè Iulian. Petr. *Ad. verſ.* 428. Nec huic ſententiæ obſtabit, *Petri Antonij Beuter* aſſertio, dicentis, Apoſtolum poſt Cæſarauguſtam, Ilerdam perveniſſe, deinde, Tarraconem commigraſſe, vbi inſcenſa naui, in Palæſtinam iter egiſſe, quia benè potuit hoc omne fieri, & ex Tarraconenſi portu, Angliam, Hiberniam, & Galliam conſcendere, ibidemquè prędicationis munus experiri.

GALLOS MEOS.) Ideò ſui, quia origine Halus *Burdigalenſis* erat, cuius memoriam ſervans, futuris ſæculis manifeſtam de progenie dubitationem extinguere curauit.

DVROS BRITANOS.) Id eſt feroces, immanes, & crudeles. Si cauſam requiràs, audi Horat. *lib.* 3. *Carm. Od.* 4. *verſ.* 33.

Viſam *Britannos* hoſpitibus *feros*,
Et lætum equino ſanguine Concanum:

Quo loci *Torrentius* notat: *Hoſpites enim immolabant, ſi Acroni credimus. Strabo in bellis gerendis immanes fuiſſe tradit.* Iuvenalis illos *ſatyr.* 5. *verſ.* 704. terribiles compellat

Qua nec terribiles Cimbri, nec *Britones* vnquam.

Nec in lectione *Britones*, aut *Britanos* hallucineris, vtraque enim vox communis eſt, ex Auſonio *epigramm.* 107. Sidon. Apollin. *lib.* 1. *ep.* 7. adi *Vinet. n.* 246. *lit. D.*

ALTAQVE MARIS TVNC VOLVMINA VOLVENS.) Maris volumina volvere, idem eſt, quod mari ſe fidere, aut nauigare. Nec abſque duce, Beda *lib.* 2. *c.* 28. *in Marc. c.* 6. *tom.* 5. mirifice: *Et aliquãdo etiam manifeſto adiutorio, victis adverſitatibus, quaſi calcatis, ſedatiſque fluctuum* voluminibus, *liberat*, Ruffus Feſtus Avienus Noſter *de Oris Marit. verſ.* 596.

Numquã excitent fluctuum *volumina*,
Sternatque ſemper gurgitem Alcyone quies.

Vt Christo vivat, mortem qvaerebat.) Veri, & æſtuantis amoris effectus. Anhelabat nimirum Apoſtolus, propter duo: Primùm vt Domini præceptum adimpleret: Deinde, vt æternam gloriam, & beatam Magiſtri faciem conſpiceret, in quibus vera eſt vita, ad quam, niſi per mortem temporalem, fruſtra currimus. Nam ſi fortis eſt, vt mors, dilectio, & morti nō reſiſtitur, nec itidem amori, *quia enim* (inquit Auguſt. ſup. Pſal. 12.) *ipſa charitas occidit, quod fuimus, vt ſimus quod non eramus; facit in nobis quãdam mortem dilectio.* Abeſt à charitate, & amore, qui terrena amans, cœleſtia reſpuit, & propter temporalem, æternam vitam calcare feſtinat. *Rectè* (inquit Gregor. *homil.* 11. in Evang.) *per Salomonem dicitur:* Fortis eſt vt mors dilectio, *quia videlicet ſicut mors corpus interimit, ſic ab amore rerum corporalium, æterna vita charitas occidit. Nec enim quis mori pro Domino poteſt in corpore, niſi prius a terrenis deſiderijs mortuus eſſet in mente.* Exẽplum diſcimus in Cain, qui vt ait S. Ambroſ. *lib.* 2. *de Cain. Rectè obtulit, quia oblatio inſigne devotionis, & indicium gratiarum eſt; ſed non rectè diuiſit, quia ante omnia debuit deferre primitias, vt à gratia inchoaret auctoris. Etenim diuiſionis hic ordo eſt,* vt charitatis ſtimulus proferatur, *quòd prima ſecundis, non primis ſecunda præcurrant; & cæleſtia terrenis, non terrena cæleſtibus præferãtur.* Quod Iacobvs effecit, qui vt Chriſto viueret, mortem temporalem ardebat.

Qvam invenit amor.) Vis enim amoris, difficiliora conſequitur, ſi perſeverantiam comitem adiunxerit. Non enim ſolo titulo continetur dilectio, vt ad deſiderata perveniat, activum continuationis expoſcit ardorem, quo felicius fine fruatur liberè cõcupito. Perbellè D. Gregor. *homil.* 25. in Evangel. intuens Magdalenæ amorem, & perſeverantiam, ad monumentum. *Maria ergo cùm fleret, inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum. Certè iam monumentum vacuum viderat, iam ſublatum Dominum nuntiauerat: quid eſt, quod ſe iterum inclinat, iterum videre deſiderat? ſed amãti, ſemel aſpexiſſe non ſufficit: quia vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis. Quæſivit ergo prius, & minime invenit, perſeveravit, vt quæreret: vnde & contigit, vt inveniret: actumque eſt, vt deſideria dilata creſcerent, & creſcentia caperent quod inveniſſent.*

Vitam in morte recepit.) Iuſtorum enim mors, vita eſt; quia carneo hoc peregrinationis vaſculo derelicto, ipſi ad æternam felicitatis vitam conſcendunt. Ideò Eccleſia illorum, aut agones, aut

tranſitum, Diem Natalem compellat, vt Auguſt. *homil. 20. de Sanct.* proſequitur: *In alijs Sanctis, & electis Dei novimus illum Diem celi, quo illos poſt conſummationem laborum, & devictum, triumphatumque mundum, in perpetuas æternitates præſens hæc vita parturijt, in quibus conſummata vltimi diei merita celebrantur.* Et merito, quia mori, vt Chriſto vivamus, lucrum eſt. S. Paulus *ad Philipp. c. 1.* ex verſione Alvari Gomezij Toletani in *Muſ. Paulin. fol. 191.*

Laus Domino, quodcumque parat, ſi vivimus illi,
 Vivemus, grato ſtat mea vita ſinu;
Seu morior, diro ſurgit mea gloria læto,
 Cum mihi per verum mors venit ipſa bonum.
Eſt mihi Chriſtus amans pretioſum vivere, morſque
 Lucro habita, & nullo me premit illa metu.

Prudentius Noſter in *Periſteph. hymn. de S. Vincent.* agens de agone Martyris, quantoque deſiderio mortem cupiebat, Sanctiſsimus Levita proſequitur:

Si mors habenda huiuſmodi eſt,
 Quæ corporali ergaſtulo
 Mentem reſolvit liberam,
 Et reddit Auctori Deo.

Faſtigium inchoatę propoſitioni ſummum imponat S. Baſil. *hom. 18.* de Barlaam Martyre dicens: *Somnus Iuſtis eſt mors, imò magis vita, ſeu migratio ad vitam meliorem. Hinc eſt, quod Martyres exultant: dum trucidantur.*

SACRVM CORPVS COETVS DISCIP. NOCTE CAPIT.) Occiſo per Herodem IACOBO, ipſius ſacratum cadauer Diſcipuli latenter, præ metu Iudæorum, accipiunt, & illud Ioppem deferunt, & paratam navem invenientes, in illam imponunt, in Hiſpaniam navigant, & apud Iriam Flaviam Gallæciæ vrbem ſolventes, ibidem honorifice corpus Apoſtoli ſepeliunt. Quæ ecphraſis, quia communis eſt, ab authoritatibus abſtineo, vt aliquot hymnorum carmina ſubijciã. Antiquus Compoſtellanus geſta recenſens, ait:

Cuius corpus Diſcipuli,
 Nocte levantes media,
 Prophani metu Populi
 Petunt Ioppem præſidia.
Nauis parata mittitur
 Illis à Deo marium;
 Corpus in ea ducitur
 Per maris longum ſpatium.
Poſt dies Septem Iriab
 Portum intrantes gaudio
 Omnes cœleſti curiæ
 Laudes cantant tripudio.

In alio pervetuſto Breviario S. E. Toletanæ, in feſtivitate Sanctiſsimi Patroni, adeſt alius hymnus, in quo hæc carmina:

Euntibus Apoſtolis
 Per cuncta mundi climata;
 Hic Hiſpanorum populis
 Dat Chriſti ſacra dogmata.
Effuſo tandem ſanguine,
 Cæſus Herodis gladio,
 Apoſtolorum agmine,
 Primus fulſit martyrio.
Cuius corpus, divinitus,
 Poſt immane ſupplicium,
 Hiſpaniæ donatum eſt
 In Patriæ præſidium.

De haccine trãslatione, omnes quotquot de S. Iacobo Noſtro ſcripſere, perlegito, apud illos enim huius veritatis ecphraſim comperies.

In Ioppem portat.) Portus celebris Palæſtinæ qui etiã *apho* dicebatur, ab agro Iſraelitarũ quinque leucas diſtans, vt ex Itinerario Bẽjamini Tudelẽſis *fol.* 49. liquet, his verbis: *Viſitur adhuc Iſraëlitarũ ager, Iſraelitarum ſepulchris inſtructum multis, duorum milliarium*

*ſpatio longus. Quinquè ab hinc leucis eſt* Gapha, *olim* Iapho, *alijs* Iope *dicta, ad mare ſita.* Ab Italis hodie *Iaffo*, aut *Zaffo* nominata, à Barbaris, ex Nigro *Arſuſo.*

Qvod iria flava.) Pro Flavia propter carminis placitũ. Vrbs olim Epiſcopalis, & pervetuſta, hodie *El Padron.* De ea hiſtoria M.S. apud me, vetuſtiſsimo Gallæcorum idiomate. Sedes Epiſcopalis in *Campum ſtellæ*, ſeu *Compoſtellam* tranſlata, à Leone III. & Archiepiſcopali titulo decorata, Anno M.C.XXIV. à Calixto II. P.M. Cui Paſchalis II. vt templum Compoſtellanum ſeptem Cononicos, Cardinales, Romanæ amplitudinis æmulatione, haberet, indulſit, vt P. Marian. *lib. 10. c. 5. & 6.* refert. Quæ omnia in honorem exuviarum, ibidem ſervatarum Sanctiſsimi Patroni, Apoſtoli, & Magiſtri Iacobi Noſtri, & poſt V. Mariam vnici Tutelaris, perfecta ſunt.

*Accipe Sancte Pater mea hæc obſequia, Halus*
*En tuus, haud potuit tua ſic mandata referre,*
*Vt poſsit præcepto Muſa reducere votum*
*Sancto tuo; ſupplex mea iam veniamq; repoſcit.*
*Tu ceu Sanctus nunc hanc Præſul dilue tetrã*
*Lituræ maculam; tu errori præbes, & anſam,*
*Nam tuos inſequens nutus, præceptaq; lubens*
*Qualibet errandi indocto tribuiſſe Poëtæ*
*Creditur; hinc Pater ignoſce hæc peccamina planè,*
*Vt poſsim tutas conſulto accipere grates.*

Accipe S. Pater.) Peroratio, ſeu totius operis epilogus, in quo breuiter de voto, ſeu promiſsione completa lætatur, de que errorum incurſibus ſe excuſat, cùm coactus, & interpellatione Bernardi protractus, ad huiuſmodi Muſarum invocationem, acceſſerit.

Hu-

Digitized by Google

Huius perorationis vſus frequens. Prudentius Noſter ad Impp. cõtra Symmach.

Accipe dilatam tua dux in tempora famam,
Quodque Patris ſupereſt, ſucceſſor laudis habeto.

Quod, & perpulchrè Sidonius Apollinaris *carmin.* 23. explevit, & alij plurimi, quos prætermitto.

Halvs en tvvs.) Virgilij, & aliorum ex priſcis Poëtis, extitit, imitator, apud quos erat de more, vt non ſolum titulis adſcriberetur nomen, ſed etiam in exordio operis, aut fine conſcriberetur, Virgil. *in Georgic. verſ.* 563. *lib.* 4.

Illo *Virgilium* me, tempore, dulcis alebat
Parthenope.

Et in Æneidum procemio, licet nomine ſuppreſo, ſuum per demonſtrationem aliorum operum, nomen, abſque obſcuritate, propalat.

Ille Ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, &c.

Licet non deſint, qui hæc Virgilio non tribuant, contra quos inſurgit Scaliger *lib.* 5. *Poët. c. fin.* qui aſſerit ideò nomina à Poëtis in exordio, aut fine operis exprimi ſolita, vt plagiariorum inverecundam audaciam reprimerent.

Havd potvit tva sic mandata referre.) Cogita modeſtiam Chriſtianam, quàm ab Ethnicorũ petulantia diſsimilem. Auſculta Horatij elationem in epilogo:

———Exegi monumentum ære perennius.

Ouidij necnon intuere inſolentiam, itidem in vltima operis perorationes:

Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira, nec ignis
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.

Vniuerſos legito, haud vllum reperies abſque arrogantiæ vitio. Aliter apud Catholicos, qui, cùm omne datum optimum deſcendere à Patre luminum, agnoſcant, de proprio ingenio diffiſi, quidquid excogitant, quidquid operantur, ſemper erratum, humili confeſsione fatentur. Audi B. Iuvencum Noſtrum Cæſarobrigenſem in fine ſui laborioſi Operis Evangelici:

Has mea mens fidei vires, ſanctiquè timoris
Cepit, & in tantum luxit mihi gratia Chriſti,
Verſibus, vt noſtris divinæ gloria Legis
Ornamenta libens caperet terreſtria linguæ.

Non inferior Aurelius Prudentius etiam Noſter V.C. & Poëta Catholicus in fine *lib. 1. Contr. Symmac.*

Non vereor ne me nimium confidere quiſquam
Arguat, ingenijque putet luctamen inire.
Sum memor ipſe mei, ſatis mea frivola novi,
Non auſim conferre pedem.

TV CEV SANCTVS.) Non parum felicitatis eſt Patronum habere, & Sanctum, & Doctum Cenſorem, quia ille, animi alacritate, ſi quæ oſcitanter dicta ſunt, ſupplet; iſte docendo corrigit, & corrigendo lætificat, Quod & obſervavit Sidon. Apollin *carm.* 24. cùm ſuo præceperit libello, vt primò in Domitij larem, intraret, quē, & ſi cēſorem conſpiceret, proſequitur:

Sed gaudere potes rigore docto;
Hic ſi te probat, omnibus placebis.

In quo, eſt Heracliti Phyſici ſententiam, amplexatus, qui ſummam laudis putabat ab vno probari, dummodo is eſſet optimus, & doctus, vt refert Symmac. *lib. 9. epiſt.* 105. Ideoquè Halus Bernardum, quē Sanctum, & Doctum appellat, vt diluat *tetram litura maculam interpellat.*

TV ERRORI PRAEBES, ET ANSAM.) Quare enim Præſuli culpam tribuit? En cauſam ab ipſo ſcriptam:

Nam

Nam tuos inſequens nutus, præceptaque lubens
Quælibet errandi indocto tribuiſſe Poëtæ,
Creditur.

Quod primò expreſſerat Symmac. *lib.4. epiſt.45.* his verbis: *Fiducia mihi ſtyli, atque ingenij mei nulla eſt, ſed tua benignitas auſus meos prouocat.*

Pater ignosce haec peccamina.) Quia apud Doctos culpa quælibet ingenij, facile veniam meretur. Imò in aliquo illis diſplicere glorioſum eſt, Plin. *lib. 3. epiſt. 13.* omnia complectitur: *Quin potius illud adnota, quæ putaueris corrigenda, ita enim magis credam cætera tibi placere, ſi quædam diſplicuiſſe cognouero.* Sidon. Apollin. *lib.9 epiſt. 3.* breuiori ſtylo, ipſam adnectit ſententiam: *Tunc enim certius te probaſſe reliqua gaudebo, ſi lituraſſe aliqua cognouero.* De Culpa, Sidon. *Carm. 3. & Carm. 8. fol. 114.*

——Tanto iudice culpa placet.

Vt possim tvtas accipere grates.) Debitum laboris præmium. *Quis nõ pro mercede laborat?* Sed cum hoc diſcrimine, nam ingenij opera, ſolo gratitudinis, & laudis denario penduntur, cætera ſpiritus deſpicit generoſus. *Pecunia* (inquit B. Ambroſ. *lib. 2. de offic.*) *numo ſoluitur, gratia nunquam exinanitur. Reddendo vacuatur pecunia, gratia autem, & habendo ſoluitur, & ſoluendo retinetur.* Quod etiam in accipiente, adimpletur; nam ſi opus pecunia penſatur, illa ſoluta, & operarij actio extinguitur, & Patroni obligatio diſſolvitur. Quod mechanicum eſt. Ingenij ergo labor ſupremam aliam, & honeſtiorem inſectatur viam, tantum gratitudinem quærit, vt quanto gratiarum ſolutionibus honoretur, tanto rediuiuis gratificationibus augeatur. Ille vt mercenarius facilè a negotio diſcedit: *Nam qui opibus* (inquit Symmach. *lib. 1. epiſt. 3.*) *inlaudatus iuuatur, neceſſarium magis donum, quam iuſtum præmium videtur adipiſci.* Iſte verò vt generoſus artifex, excluſo donario, & denario, ad gloriam tranſcendit inclytus. *Nã qui gloria laudibus* (Eginhardi verba ſunt *epiſtol. 56.*) *donatus diſcedit, iuſtum de opere perfecto, licet repetiti vum vbique, præmium cõſequitur.* Et meritò, ex duplici capite; aut quia gratificatus diſcedit; aut quia laude eruditorum, linguæ calumniantium conticeſcunt. Audi Regem Pſalmiſtam. *Deus laudem meam ne tacueris.* Quare laudes

expetit a Deo? *Quia os doloſi ſuper me apertum eſt.* Et Deo laudante, doloſus comprimetur. *Vnde apparet* ( inquit Auguſt. in 1. enarrat. ad hunc Pſalm.) *& falſam eſſe vituperationem, quam non tacet doloſus, & veram eſſe laudem, quam non tacet Deus.* Ergo laus à iuſto, qui Dei imaginem gerit, calumniantium ora comprimet. O! vtinam libelle, illius gratiam ex ſpectes, laudes merearis, & affectū agnoſcas, nam hiſce val latus commeatibus, iſtorum calumnias haud timebis. Et O! quiſquis ſapiens es, hæc qui leges:

Tu quoque ſi noſtrum non dedignabere Penſum,
  Pone graui, precor, fronte ſupercilium;
Præmia nulla meo fuerint maiora labori,
  Quam liceat munus, ſi placuiſſe meum.
Non mihi ſit tanti ſententia dia Mineruæ,
  Pierides parui, Iudice te, faciam.

# FINIS.

Digitized by Google

# INDEX RERVM.

## A


ABdera vrbs quæ? an Adra 33.
Accitani, qui & Gemellenſes 63.
Agathodorus Epiſcopus Tarraconenſis 12. Martyr. 13.
Agla minor vrbs, an Abla. 34.
Alabacenſes Populi, qui. 63.
Alba, quæ & Vrgabo, quæ vrbs. 34. huius nominis alia, quæ. 57.
Albana, an potius Albina, quæ vrbs. 33.
Alos, an Alicante. 42.
Aloſtigicœli, qui populi. 42
Alpeſa corrupte, pro Salpeſa vrbe. 46.
Altare, pro Ara, eius diſcrimen. 95.
Amans, ſolo rei amatæ intuitu, placatur. 68. Illo deficiente, in ſola abſentis contemplatione perfectionũ, quieſcit. 69.
Amicitiæ vera demonſtratio, in ſecreti cõmuniatione, verſatur, Chriſti exemplo. 25.
Amoris æſtuantis effectus, omnia conſequitur, dum modo perſeverantia muniatur. 99.
Ana fluvius, quas vrbes lambat. 27.
Andologenſes Populi, qui. 61.
Andoriſe vrbs quæ. 50.
D. Antonius Calderon laudatur, opus de Excellentijs S. Iacobi meditatur. 4.
Annus Romanus ex Numæ placito, quot dies habuerit. 31.
Apparitiones ferè ſemper tumultuanijs fragoribus perficiuntur. 72.
Aquicaldenſes populi, qui. 59.
SS. Aquila, & Priſcilla Martyres Arſenſes, Diſcipuli S. Pauli Apoſtoli. Eorum epitaphiũ, & ſitus martyrij. 89. & 90.
Ara, in quo differat ab Altari. 95.
Arcadius Epiſcopus Iuliobrigenſis. 12. Martyr. 13.
Arcobrica triplex populus. 61.
Arcocœli, quæ vrbs. 50.
Areva fluvius, Arevacis dedit nomen. 66.
Arevaci populi. 54. Eorum in

ſcriptio. 66.
Arialdunum oppidum. 34.
Arſa vrbs,quæ. 46. Eius Martyres. 89.
Arunda vrbs,quæ. 45.
Aſsido Ciuitas,an Colonia. 39.
Aſta vrbs,an Colonia. 38.
Aſtapa,eadem quæ Oſtippo. 41.
Aſtigis Conventus Iuridicus. 31.
Aſtygia vetus,quæ civitas. 41.
C. Attinij Romani mors apud Aſtam. 38.
Athanaſius Diſcipulus S. Iacobi. 11.
Attubi Colonia,quæ vrbs. 40.
Auguſta Firma vrbs. 39.
Auguſta Gemella duplex vrbs. 41.
Aulus Halus,eius elogium,&quę ſcripſerit. 2. Verum nomen, & agnomen. 3. Toletana Civitate donatus. 2.& 3.
Auxilium divinum requiritur,vt ad ſummum virtutum conſcendamus. 22.

# B

BAbanenſes populi,qui. 63.
Baecula,an Baeza. 41.& 42.
Bæticæ deſcriptio. 29.
Bæturiæ Turdulorum deſcriptio. 45.
Balſamo,cur Maria Virgo comparetur. 82.
Barcino vrbs. 56.
Baſilius Diſcipulus S. Iacobi. 11. Epiſcopus Carthaginis Spartariæ. 12. Martyr. 13.
Baſtitani populi,qui. 63.
Bellitani populi,qui. 60.
Bellon vrbs,quæ. 32.
Berbeſula vrbs,quæ. 32.
Bernardus Toletanus Antiſtes. 4. Eius elogium,& Epitaphiũ. 5.
Beſippo vrbs,quæ. 32.
Betullo,diverſa à Beturo. 59.
Biſcargis vrbs,quæ. 58.
Blanda vrbs,& flumen. 57.
Britanni, cur dicti feroces. 98. Illos invitit S. Iacobus, *ibid.*

# C

Cæſaraugusta Conventus Iuridicus,quæ & Salduba. 60.
Calagurris duplex populus, qui. 60.
Callenſes populi,qui. 45.
Callet vrbs,quæ. 50.
Calocerus Diſcipulus S. Iacobi. 11.
Calpes vna ex Herculis columnis. 25.
Canis, quid myſticè ſignificet. 21.
Capito Epiſcopus Lucenſis. 12. Martyr. 13.
Carenſes populi,qui. 61.
Cariſa vrbs,quæ. 50.

Ca-

Cariſti populi,qui. 65.
Carthago Spartaria Colonia. 54.
Caucenſes Populi,qui. 65.
Caura,vrbs quæ. 37.
Cecilius Diſcipulus S. Iacobi. 11.
Cedrus typus ſuperbiæ. 78. Cur ei aſsimiletur iuſtus, *ibid.*
Celſa vrbs,an Colonia. 60.
Cenſorē habere doctū,aut pium, felicitas eſt. 104.
Ceretani populi qui, Martialis locus vindicatus. 55.
Ciconia, Noctuas nidum inſultantes,folio Platani abigit. 81.
Civis dicitur, qui civitate donatus,in ipſa recipit honores. 3.
Chryſogonus Diſcipulus S. Iacobi. 11.
Chriſti quælibet ſanguinis gutta ad noſtrā efficax erat redemptionem. 23.
Clarus,& Clariſsimus, quid? 41.
Clunia Conventus Iuridicus. 64. & 66.
Colobona vrbs,quæ. 38.
Congerius quid ſignificet. 75.
Congedum,quid ſit. 76.
Congiarium,quid fuerit. 75.
Conſaburis vrbs,quæ,& eius inſcriptio. 63.
Conventus, quid, & quotuplex. 29.
Corduba Conventus Iuridicus. 30.
Cortonenſes Populi,qui. 61.
Culpa ingenij,& obſequij veniam apud doctos meretur. 105.
Cupreſsi natura,& ſymbola. 80.

# D

Damnanitani Populi. 62.
Deitania vrbs,quæ. 54.
Deprecatio Poëtis frequens. 7.
Dertuſa Civitas. 58.
Dianium vrbs,quæ. 63.
Dies,in quo Apoſtoli Orbis ſortiti ſunt provincias. 8.
Diſcipuli,quos ſecum duxit Apoſtolus 11. Quos fecit Hiſpaniæ Epiſcopos. 12.
Doctis diſplicere in aliquo,glorioſum. 105.
Domus Ioannis Marci electa ab Apoſtolis,ad ſortiendas Orbis Provincias. 9.
Dunienſes populi. 64.

# E

Ebura civitas, quæ & Cerealis. 34.
Ebdunum,pro Arialdunum. 34.
Edetania Regio,quæ, 54.
Elpidius Toletanus Epiſcopus. 13.
Emanici Populi,qui. 45.
Ephrem Epiſcopus Aſturicenſis. 12. Martyr. 13.
Epora,non Ripepora, quæ vrbs. 35.

Er-

Ergavica, ſeu Ercavica, duplex oppidum quæ. 61.
Etherius, ſeu Ætherius Epiſcopus Barcinonenſis. 12. Martyr. 13.
Eugenius Epiſcopus Valentinus. 12. Martyr. 13.

F

Fortunatū eſt, doctum habere Cenſorem. 104.
Forrunales Populi, qui. 45.

G

Gades vrbs, eius nomina. 30.
Gallos viſitavit S. Iacobus. 98.
Gemellenſes, qui & Accitani. 63.
Gerſorienſes Populi, qui. 59.
Gerundenſes Populi, vbi. 58.

H

Halus Poëtæ cognomen, ipſius origo. 2. & 3.
Hiſpalis Conventus Iuridicus. 30.
Hiſpaniæ vlterioris deſcriptio. 26. Citerioris 28. & 51. Eius incolæ quare feroces. 68.
Hiſtoria fundationis Baſilicæ de Pilari ex M. S. Codice antiquo, editur. 72.
Horrorem incutiunt loca, vbi Sanctorū pignora deliteſcunt, & quare. 90. & 91.

I

Iacobi Apoſtoli Hiſpanorum Apoſtoli, & Patroni Adventū ſcripſit Aulus Halus. 3. Duodecim diſcipulos ſecum portat. 6. & 11. In Hiſpaniam poſt Adventum Spiritus Sancti, advenit. 8. Obtigit illi Hiſpaniæ prædicatio. 10. Poſt Iudæos. 10. Solvit in portu Carthaginenſi. 12. Illiberitanam luſtrat vrbem. 12. Ibidē S. Petrum Ratenſem ſuſcitat. 13. Hiſpaniæ vrbes inviſit, & quas. 13. Miracula patrat. 15. Forma eius prædicationis. 16. Septem diſcipulos convertit. 19. Eius Oratio ad Patrem. 20. Ad Virginem Matrē. 24. Ad ipſam epitheta 67. & 77. Prothomartyr Apoſtolorum. 87. Baſilicam de Pilari erigit præcepto Virginis. 72. & 95. Quo tempore in Hiſpanijs deguit. 97. Galliam, & Britāniam inviſit. 98. Eius corpus in Iriā Flaviam à Diſcipulis trāſfertur. 100.
Ilerda civitas munita. 61.
Ilergetes Populi, qui. 55.

Iliberis vrbs,& Mons. 34.
Ilipa Bæturiæ, quæ, eius elogia. 46.& 47.
Ilipa Magna,quæ. 36.
Ilicurgo vrbs,quæ. 35.
Illorcitani Populi,qui. 63.
Ilurcenſes Populi, an qui Grachurris. 62.
Iluro vrbs,quæ. 56.
Ilurco vrbs,quæ. 34.
Indaletius Diſcipulus S.Iacobi. 11.
Intercatienſes Populi. 63.
Ipaſturgus populus. 35.
Iſcius Diſcipulus S.Iacobi. 11.
Iſaac, a quo Hieroſolymitani Iſacides. 97.
Itani Populi. 55.
Itucci Colonia. 40.
Iubienſes Populi, an Vibienſes. 62.
Iulienſes Populi, an Ceretani. 58.
Iuliobrica vrbs.quæ. 55.
Iulia Firma Colonia. 34.

# L

Labanenſes Populi. 63.
Laborē ſequitur præmium. 105.
Lacobrica vrbs quæ. 65.
Lacobrutiū promontorium. 25.
Lrconimurgus,duplex populus. 45.
Laletani,ac Lacetani. 55.& 61.
Laminitanus ager.28.& 43. Martyres. 48.
Laſtigi Populi. 46.
SS.Lætus,& Vincentius Martyres Lybiſocenſes quo tempore ad palmam pervenere. 88.
D.Laurentius Ramirez de Prado, quanto favoris exceſſu litteratos excipiat. 72.
Leonicenſes Populi. 61.
Lybiſoca vrbs.63. Eius Martyres. 88.
Lupus, quid myſticè ſignificet. 21.
Luſtrare idem, quod illuſtrare. 6. Quod ſacrum facere. 96.

# M

Malaca vrbs. 32.
Manus pro potentia. 9.
Mariae Virginis auſpicijs, in Hiſpanias advenit Iacobus Apoſtolus.10. Fauet. 23. Præſidens campis quare dicatur. 24. Intacta 67. Eius naturales perfectiones.69. De ea nū quam ſatis.70. Eius Advētus cum fragore ad Apoſtolū. 71. Huius antiqua hiſtoria 72 Pro Iacobo tutelam Hiſpanis ſpondet.88. Oratorium confici iubet. 93.
Maximus Diſcipulus S. Iacobi. 11.
Martyrologium Hiſpanum meditatur Tamaio Scholiaſtes.93.

Mavitania vrbs, quæ. 54.
Mellaria vrbs. 32.
Meruca vrbs. 4.
Milvus, quid myſtice ſignificet 21.
Mirobrica vrbs, quæ. 52.
Mors Iuſtorum, vita eſt. 99.
Munda vrbs, belli civilis theatrum. 49.
Myrrhæ cur V. M. comparetur. 82.

## N

NAtalis dies, cur ab Eccleſia, in die mortis conſignatur. 100.
Nebriſſa, quæ & Veneria, quæ. 38.
Nertobriga, pro Vertobriga. 44.
Neſtorius Epiſcopus Pallentinus. 12. Martyr. 13.
Noctua inſectatur Ciconiæ nidos & eius amuletum. 81.
Numantia vrbs celebris, quæ. 65.

## O

Obucula vrbs, quæ. 42.
Oliva B. V. M. typus. 81.
Onenſes Populi, qui. 59.
Oningis vrbs, quæ. 41.
Onoba, quæ vrbs. 32.
Opera illuſtria animæ potentias imbibunt. 95.
Orippo vrbs, quæ. 37.
Oſca vetus. 34. Nova. 50.
Oſſet duplex oppidum. 36.
Oſigi fluvius, cognomento Laconius. 35.
Oſſonoba, vrbs. 31.
Oſtippo, quæ & Aſtapa. 41.

## P

PAlmæ ſimilitudines. 79. Cui anni ſymbolum. 80.
Pampilonia vrbs. 62.
Patria eſt, vbi quis ſedem figit. 3. Aut vbi honores recipit. 4. Duas agnoſcit Cicero, vnã naturæ, & aliam iuris. 4.
S. Pauli Apoſtoli in Hiſpanias Adventũ, loco Iacobi demortui. 88.
Pelendones Populi, & eorum inſcriptio. 66.
S. Petrus Ratenſis ſuſcitatur à S. Iacobo, eius elogium. 13. Apoſtolorum Princeps Hiſpanias viſitat. 91.
Pius Diſcipulus S. Iacobi. 11. Martyr. 13.
Platani myſteria. 81. & 82.
Poëtæ nomen figunt in exordio, aut fine operum, & quare. 103. Ethnicorum arrogantia. 103. Catholicorum modeſtia. 104.
Portus, quo ſolvit S. Iacobus. 12.


Præ-

Præceptum ſuperioris exculpatio errantis eſt. 105.
Præmium labori debitum. 105.
Probus, & Xantippes Diſcipuli Pauli. 88.
Provinciæ, quæ vnicuique Apoſtolorum obtigere. 9.

# R

REgina duplex vrbs. 50.
Ripepora, pro Epora. 35.
Roma imperium orbis accepit, ex quibus virtutum cumulis. 40.
Roſæ aſsimilatur B.V.M. 82.& 83.

# S

SAguntus vrbs, eius elogium. 54.
Salduba, quæ & Cæſaraugusta. 60.
Salpeſa, non Alpeſa. 46.
Secobia vrbs ab Hercule. 60.
Secundus Diſcipulus S. Iacobi. 11.
Sedetani Populi, qui. 59.
Segeda vrbs, quæ. 33.
Segiſamone civitas. 65.
Segobriga, caput Celtiberiæ. 64.
Seguntia vrbs antiqua. 66.
Sepulchra Sanctorum quare timorem incutiunt. 90.
Seria vrbs Bæturiæ, quæ. 44.
Seripppo civitas quæ. 46.
Sexi Firmum vrbs. 33.
Sextum Iulium vrbs. 32.
Siarum vrbs, quæ. 37.
Sicoris fluvius ex nivibus. 61.
Siſapone vrbs, quæ. 46.
Sitiæ gentes apud Cordubam. 35.
Sceptrum, pro regno accipitur. 20.
Spes cũ timore, quare apud Auguſtinum. 22.
Stemmata antiquorum Hiſpanorum. 91.
Stipendiaria vrbs, quæ dicebatur. 40.
Subur ager, qui. 55.
Succuba vrbs, quæ. 34.
Sucrana vrbs, quæ. 40.
Syngilis vrbs, & fluvius, qui. 39.

# T

TArraco Conventus Iuridicus. 58.
Teari Populi, qui. 59.
Terebinthus arbor parua, eius myſteria. 80.& 81.
Tereſi Populi, qui. 45.
Tigenſis fluvius, qui. 33.
Tingus civitas, an Iulia Traducta. 42.
Theodorus Diſcipulus S. Iacobi. 11.

The-

Theſiphon Diſcipulus S. Iacobi. 11.
Toletanus Poëta, cur dicitur Aulus Halus. 3. Præſul, Archiepiſcopus cognominari cæpit, poſt vrbis reſtaurationem. 6.
Toletum Carpetaniæ caput. 64.
Torquatus Diſcipulus S. Iacobi. 11.
Turiaſo, in numis, vrbs. 61.
Turmodigi populi, qui. 65.
Turobriga vrbs, quæ. 46.

V

Vaccæi Populi, quid 54.
Varduli Populi. 64.
Vaſcones in Gallia, & Hiſpania. 56.
Vulturuiacum oppidum, quod. 45.
Venenſes Populi, an Vianenſes. 65.
Vertobriga in Bætica, pro Nertobriga. 44.
SS. Vincentius, & Lætus Martyres Libifocani quo tempore agonem expleverunt. 88.
Virgentum vrbs, quæ. 37.
Vitis ſymbola, Romanorum inſigne, cur illi M. Virgo accomodetur. 84. & 85.
Volumina maris volvere, quid. 98.
Vrgabo, quæ & Alba, vrbs. 34.
Vrgitanus ſinus, quis. 27.
Vrſao, quæ & Gemina Vrbanorum, corruptè Genua. 40.
Vxama, vrbs duplex. 66.

X

Xantippes, & Probus Coniuges a S. Paulo in agro Lamitano ad fidem converſi. 88.

BIBLIOTECA
Digitized by Google

MATRITI

Ex Typographia Didaci Diaz de la Carrera.

Anno M.DC.XLVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google